Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0001-9

B. 29.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0002-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0003-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0004-6

# SERENISSIMI. AC. POTENTISSIMI
# PRINCIPIS. AC. DOMINI
# DOMINI. FRIDERICI. II
## LANDGRAVII. HASSIAE. REGNANTIS. REL.
# NATALITIA
## QVINQVAGESIMA. OCTAVA
## ET
# SACRA. SEMISAECVLARIA
## POST. SVSCEPTVM
## RECTORIS. MAGNIFICENTISSIMI
## MVNVS

DIE XIV AVGVSTI ANNI CIↃIↃCCLXXVII
SOLENNI. ORATIONE
IN, AVDITORIO. MAIORE. HORA X HABENDA
CELEBRATVRA. EST

## *ACADEMIA. MARBVRGENSIS*

AD QVAM AVDIENDAM
ILLVSTRISSIMVM LEGATVM,
ACADEMIAE PROCERES, CIVES AC FAVTORES
DEMISSE ATQVE OBSERVANTER INVITAT


## MICHAEL. CONRAD. CVRTIVS

SEREN. LANDGR. A CONSIL. HISTOR. ELOQV. ET POES. PROF. ORD.
ACADEMIAE H. A. PRORECTOR.


*Panduntur faſti Rectorum ac Prorectorum Marburgenſium ab incunabulis Academiae*


MARBVRGI CATTORVM
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA MüLLERIANA



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0005-2

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0006-7

Magnam ſalutis publicae partem, ac momentum grauiſſimum a litterarum ſtudiis pendere, omnis aeui comprobatum eſt exemplis, florentiſſimaeque eae fuere res publicae, quae in ſcientias excolendas cura intentiore et impetu quodam animi incubuerunt. Ab antiquiſſimis igitur temporibus eruditioni cuique honor habitus eſt ampliſſimus: ii vero, qui docendis aliis de republica et vniuerſo genere humano meriti erant, ſummo loco habiti ſunt, Regum Principumue amicitiam haud raro conſequuti, interdum et familiaritatem. Conſtitutis poſtea ſocietatibus aut collegiis virorum eruditorum, auctoritate

publica litteras docentium, et praemia tanta aſſignauit Principum fauor, et eum impertiit honorem, qui conciliandae reuerentiae aut exiſtimationi populi ſufficeret, ſiquidem iſte in titulis et imaginibus ſtupet, aequis rerum arbitris externa iſta vanaque ſpernentibus. Imperatores Romani Profeſſores Conſtantinopolitanos, qui viginti annis docuiſſent, Comites primi ordinis crearunt (a), quo dignitatis faſtigio cum Exvicariis, qui magnas rexerant regiones, exaequabantur, eminebant ante Praeſides prouinciarum et Senatores clariſſimos. Conditis medio aeuo Academiis, ſeu, vt vocabantur olim, ſtudiis vniuerſalibus, ad faſtigium iſtud quidem haud patuit aditus Profeſſoribus: neque aucto eorum numero id conueniſſet: in honore tamen habiti ſunt Doctores et Profeſſores: quid? quod Principes gloriae ſibi duxerunt honores academicos. In primis autem Rectores academiarum in ampliſſimo dignitatis gradu locati ſunt, neque temere id quidem. Confluentibus enim in academias, praeter ceteram multitudinem, Principibus Comitibusue praeficiendus erat magiſtratus grauis, in eo faſtigio poſitus, vt ſine contumeliae nota iuſſis eius obſequi poſſent iuuenes ſummo loco nati. Multa quidem de dignitate Rectoris academici detraxit ſequior aetas, haud vero vſque quaque modo ſimili.

*Altorſinae*

(a) Cod. Theodoſ. Lib. VI. tit. XXI.

*Altorſinae* academiae Rector Conſiliariis reipublicae quidem praefertur, poſtponitur autem Senatoribus Norimbergenſibus vniuerſis (b). *Argentorati* in alloquutionibus publicis Comites, Proceres reipublicae et Scholarchae, Conſiliarius et Syndicus memorantur, et tum demum Rector magnificus: (c) neque id mirandum, quod a magiſtratu pendet et Altorſina et Argentoratenſis academia, qui ſibi igitur iure ſuo priorem vindicat locum. Rector academiae *Colonienſis* ſoli Nuncio Apoſtolico cedit, a quo ſolo pendet, ſiquidem neque Electoris neque magiſtratus Colonienſis vlla in eum ſunt iura. *Franeckeranae* academiae Rectoris poſt Curatores fit mentio, qui ex ordinibus prouinciae Friſicae conſtituuntur (d). Rectori academiae *Francofurtanae* loco ceſſit ipſe IOACHIMVS II Elector Brandenburgicus; patet autem cuiuis, Electorem hanc honorem Rectori habuiſſe, vt ſtudiis liberalibus dignitatem conciliaret, animosque ad excolendas ſcientias excitaret, tanta praemia habituras. Sequente aeuo Rectori Francofurtenſi datus eſt locus ante Praefectum praeſidii (e). Vix tamen crediderim, Rectorem cum Comite SCHWERINIO, exercituum Pruſſicorum ſummo Duce, et praeſidii Praefecto, de loco contendere auſum. *Giſſenſis* academiae



(b) Schwarzii Orat. in obitum Caroli VII.
(c) Schallnſii Panegyricus Io. Chph. a Draxdorf dictus.
(d) Valkenaer Orat. de cauſſis neglectae litterarum graecarum culturae.
(e) Der Rector der Univerſität Franckfurt ſoll den Rang über unſern itzigen und künftigen Commendanten zu Franckfurt haben. Reſcript. Frid. III. 1688. apud Beemannum in Notit. Vniuerſ. Francof. C. II. III.

miae Rectorem Landgrauius LVDOVICVS V. anno CIↃIↃCIX. Commendatori prouinciali ordinis Teutonici, Mareſchallo hereditario, Praeſidi iudicii aulici et Cancellario regiminis praetulit (f). Huius ſaeculi anno viceſimo inter Praeſidem regiminis L. B. PERSIVM A LONSSDORF et Rectorem academiae lite de loco orta ſuccubuit quidem academia, ſed ex ea tantum ratione, quod *Lonſſdorfius* primarii ſtatus Adminiſtri et Proprincipis fulgeret honore, nullo Rectorum futurorum Praeſidumque praeiudicio (g). Rector academiae *Gryphicae* in ſtatutis Monarcha vocatur, et Magnifici nomine ab omnibus curiis, regimine, et ipſo Rege inſignitur. Ante Procancellarium occupat locum, quod in Sueciae academiis aliter ſe habet. In lege proëdriae Rectoris non fit mentio, id tamen conſtat, inter Rectorem academiae et Praefectum excubiarum generalem controuerſiam de loco interceſſiſſe (h). Quo Rectores academiae *Hafnienſis* olim gauiſi ſint honore, me fugit: noſtro aeuo in inferiorem iſto qualicunque faſtigio locum detruſi ſunt, poſt Subtribunos enim et Conſiliarios iuſtitiae demum cenſentur (i). *Halenſi* Prorectori in ipſis conditae academiae litteris locus poſt Electorem aſſignatus eſt, et in ſolemni

(f) Eſtor de Comitiis et Ordinibus Haſſiae.

(g) Landgraf Ernſt Ludwig General- und Haupt-Verordnung die Viſitation der Univerſität Gießen betreffend a. 1720. p. 29. Weil er erſter wircklicher Geheimer Rath und Samthofrichter, und die Vices eines Statthalters vertrete — woraus jedoch für andere, ſo in künftigen Zeiten bey unſerer Regierung dirigiren ſolten, keine Conſequenz zu nehmen.

(h) Balthaſar Rituale acad. p. 182.

(i) Friederich V. Rangordnung de a. 1746.

ſolemni eius inauguratione a. 1694. *L. B. a Fuchs*, intimae admiſſionis ſtatus Adminiſter, Prorectori lubens ceſſit. Hoc autem in exemplum haud quaquam trahi poſſe, neminem latet. Cum ſucceſſu temporis curia regiminis Magdeburgici Halam transferretur, academia ſemper priorem locum occupauit, et Praeſidi regiminis praelatus eſt Prorector. Hoc noſtro tempore Prorector Halenſis certo loco extra academiam haud gaudere videtur. Prorectorem academiae *Kilonienſis* Praefectis excubiarum generalibus exaequauit Dux CAROLVS FRIDERICVS. Imperatrix Haſſiae CATHARINA II, quum tutelam Holſatiae gereret, ante tribunos collocauit. An ſub imperio Danico Kilonienſem eadem quae Hafnienſem maneat fortuna, ignoro. In *Louanienſi* academia rectorale faſtigium et olim et nunc magni eſt momenti. CAROLVS audax Dux Burgundiae omnibus regionum ſuarum proceribus Rectorem antepoſuit. Quod Imperator CAROLVS V. Rectorem Louanienſem ſibi praepoſuit, ad ludum pertinet, et hiſtrioniam fere ſapit (k). At hodienum in actu academico ne Principi quidem nec nuntio pontificis maximi cedit Rector (l). *Lugdunenſis* academiae Rectorem ante Curatores, qui ex ordinibus prouincialibus Hollandiae deliguntur, compellatum eſſe inuenio (m). *Moguntina* academia ex Canonicis capituli cathedralis Rectorem eligere ſo-



(k) Iuſt. Lipſius in Louanio L. III. c. 3.

(l) Vernulaeus de acad. Louan. Lib. I. c. 6.

(m) Riueti orat. de bono pacis et concordiae in eccleſia.

ler, hoc honore perpetuo functurum. Fuit iſte per viginti annos FRIDERICVS IOSEPHVS CAROLVS L. B. AB ERTHEL; creato hoc ante triennium Electore Moguntino Rectoris dignitas in alium nondum collata eſt. Quodſi vero ex Profeſſorum numero Rector eligitur, ex legibus academiae a. CIↃIↃCCXLVI. denuo conceſſis iſte *Conſiliarii aulici praeeminet praecedentia.* Rectoris ex Canonicorum numero delecti locum, ſine dubio et honorem, occupat Prorector ex Profeſſorum numero. Rectores Prorectoresue academiarum *Marburgenſis* ac *Rintelenſis* nouiſſima lege proëdriae gradu ac dignitate exaequati ſunt cum Praefectis excubiarum generalibus, Mareſchallo hereditario, Conſiliariis intimis, ſupremis venationum et ſtabuli Magiſtris, Iudice aulico, Praeſidibus, Cancellariis et Procancellariis regiminis. Rector academiae *Pariſienſis* ex ſolo philoſophorum ordine deligitur, tantaeque eſt dignationis, vt in ſolemnibus academicis Principes ſanguinis regii proxime ſequatur, in exſequiis regiis autem latus Archiepiſcopi Pariſienſis claudat (n). *Roſtochienſis* academiae Rector in ſolennibus iubilaei a. CIↃIↃCCXVII. celebrati menſae Ducis Mecklenburgici adhibitus locum ante intimos ſtatus Adminiſtros et belli Duces occupauit (o). Quid? quod Legatos Principis ſine vlla controuerſia praecedere ſolitus erat. *Treuirenſis* academia Rectorem magnificum vel ex Profeſſoribus per

maiora

(n) Nemeitz Sejour de Paris T. I. p. 330.
(o) Hilaria Euangelica p. 415.

maiora eligit, vel duabus tertiis ſuffragiorum conſentientibus extra numerum Profeſſorum alium prodit, id quod plerumque fieri ſolet. Gaudet nunc iſto honore CAROLVS FRIDERICVS L. B. BOOS A WALDECK et MONTFORT, Commendator prouincialis Balliuiae Lotharingicae, Reuoluto quouis triennio noua inſtituitur electio. Rector nemini cedit niſi Cancellario nato ſeu Electori. In academiis Suecicis Vpſalienſi, Aboënſi, Lundenſi Rector poſt Procancellarium, qua dignitate Archiepiſcopus et Epiſcopi iſtarum vrbium pollent, ſuum occupat locum. *Viennenſis* academiae Rector olim Epiſcopo Bambergenſi imperii Principi de loco controuerſiam mouit, quam vero litem noſtra aetate iteratum iri haud arbitror. Inſignibus tamen adhuc vtitur honoribus.

Paucula haec de dignitate ſeu ſplendido olim onere academiae Rectoris praefari libuit, quum omnium Rectorum, qui ab incunabulis Marburgenſi noſtrae academiae praefuerunt, recenſum agere conſtituerem apud animum. Effluxerunt duo ſaecula cum dimidio, ex quo Marburgi ſedes litterarum propitiis auſpiciis, euentu proſpero, futuri aeui ſpe etiam laetiore conſtituta eſt. Academici regiminis faſces longiſſimo hoc temporis interuallo aliis ſubinde traditi ſunt manibus. Acceſſerunt omnes, vel pars longe maxima, ad gubernandam rempublicam noſtram litrerariam paterno animo, inflammati

amore publicae ſalutis: non potuit igitur non ſapienter, benigne, ac iuſte adminiſtrari ac regi Academia noſtra. Sed age ex ordine ſingulis ab orta Academia annis ſuos Rectores Prorectoresue aſſignemus,

Annus CIↃIↃXXVII. naſcentis academiae Marburgenſis primus, ex decreto Principis Rectorem habuit IOANNEM FERRARIVM, iuris Profeſſorem: manifeſto, ni fallor, indicio, PHILIPPVM Landgrauium academiam ſuam ad ſeruandum anxie in eligendis Rectoribus ordinem Facultatum, vt vulgo vocantur, nequaquam voluiſſe adſtrictam, quum ſub auſpicia academiae ab iſto ordine diſcederetur. Natus erat IOANNES FERRARIVS ſeu EISENMANN Amoeneburgi, a cuius ſitu ſubinde appellatus eſt Montanus: omne litterarum genus complexus fuerat animo ſtudiisque, Baccalaurei theologiae, Licentiati medicinae et Doctoris iuris honoribus inſignis. Scholae Vitenbergenſis Rectorem egit, inde Marburgum a. 1523 acceſſit, inter Senatores cooptatus, tum ſub auſpicio academiae Profeſſoris iuris locum obtinuit. Finem viuendi fecit a. 1558 d. 25 Iun. Annotationibus in Inſtitutiones aliisque ſcriptis maximam partem iuridicis inclaruit.

Anno CIↃIↃXXVIII. eidem FERRARIO prorogatus eſt magiſtratus: Principisne iuſſu, an procerum academiae ſuffragi-

is haud liquet. Sequiore aeuo vtriusque rei exempla occurrunt.

A. CIƆIƆXXIX ADAMVS KRAFT ſeu CRATO Theologiae Profeſſor hoc honore functus eſt, ſuffragiis Profeſſorum LAMBERTO theologo primario praelatus. CRATO, qui et VEGETIVS appellatur, Fuldae natus erat, denatus Marburgi a. 1558 d. 9. Sept. ſcripto rituali eccleſiaſtico ſeu chriſtliche Kirchenzucht.

A. CIƆIƆXXX. EVRICIVS CORDVS Medicinae Profeſſor. Vero nomine HENRICVS VRBANVS vocatus eſt, at CORDVS vocari maluit, quod ex duodecim infantibus poſtremum eum mater fuerat enixa. In lucem editus Simshuſae in Haſſia, Erfordae a. 1516. Magiſter philoſophiae creatus, Italiam inuiſit, tum Brunſuigae et Emdae medicinam exercuit, Marburgum vocato ob aſperos mores cum collegis neutiquam conuenit, quamobrem a. 1534. Bremam abiit, vbi mortuus eſt a. 1535.

A. CIƆIƆXXXI. AVGVSTVS SEBASTIANVS NOVTZENVS ſacrarum linguarum Profeſſor, Saſtinga-Flander natus a. 1503 ſub auſpicia academiae Marburgum euocatus, vbi Doctoris gradum et Conſiliarii Haſſiaci honorem adeptus eſt. Praeter alia ſcripta Commentarium in prouerbia Salomonis edidit. Nouennio Marburgi exacto mortuus eſt a. 1536.

A. CIƆIƆXXXII* IOANNES FERRARIVS Iureconſultus iterum. Placuit tum, vt bini quotannis Rectores eligerentur, altero calendis Ianuarii faſces capeſſente, calendis Iulii altero.

A. CIↃIↃXXXIII. academiae igitur praefuerunt EVRICIVS CORDVS, medicus iterum; NOVTZENVS, ex ordine philoſophorum iterum.

A. CIↃIↃXXXIV. ERHARDVS SCHNEPFIVS, theologus: IOANNES RVDELIVS, iureconſultus. SCHNEPFIVS natus erat Heilbronnae in Sueuia a. 1495. Verbi diuini Miniſter Weinsbergae fuit, mox vero inde pulſus, quod a Lutheri partibus ſtare videbatur; tum Wimpfae ac Weilburgi haud ſine fructu docuit. A. 1527. Marburgum vocatus, triennio poſt Comitiis Auguſtanis interfuit. A. 1535. Sueuiam repetiit, Duci Wurtenbergico ſuam addicens operam, vnde ob motus interimiſticos Ienam conceſſit, vbi a. 1558. viuendi finem fecit: praeter commentarium in Pſalmos polemicis ſcriptis inclaruit. RVDELIVS Francofurti ad Moenum lucem adſpexerat, Marburgo Lubecam ad capeſſendum Syndici munus euocatus, e vita migrauit a. 1540.

A. CIↃIↃXXXV. Rectores fuerunt IOANNES MEGABACCHVS Medicus, IACOBVS A TAVBENHEIM Eques auratus. Inditum huic eſt Rectoris Magnificentiſſimi nomen, quamobrem Vicerector conſtitutus eſt NICOLAVS ASCLEPIVS BARBATVS, philoſophiae Profeſſor. MEGABACCHVS Blaubeurae in Sueuia in lucem editus a. 1487, Patauii Doctor creatus,

Marburgo

Marburgo Caſſellas euocatus, vbi in aula PHILIPPI Landgrauii ad mortem vſque a. 1558 Archiatri functus eſt munere. BARBATVS Caſſellis natus, Profeſſoris philoſophiae et Paedagogiarchae munere diu functus eſt, mortalitatem exuit a. 1571, carminibus et orationibus inclaruit.

A. CIↃIↃXXXVI. GERHARDVS GELDENHAVRIVS, theologus, IOANNES FERRARIVS Profeſſor iuris, tertium. GELDENHAVRIVS Nouiomagenſis, olim Monachus, poſt Hiſtoriographus et Praelector CAROLI, Archiducis Auſtriae et poſt PHILIPPI Burgundi Epiſcopi Vltraiectenſis: ab imperatore MAXIMILIANO I. poëtae laureati honoribus inſignitus. Haud ita multo poſt ad Euangelica ſacra tranſiens Vormatiae, Argentorati, Auguſtae Vindelicorum docuit, Marburgum accitus, peſte periit a. 1542, hiſtoricis potiſſimum ſcriptis clarus, hiſtoria ſcilicet Batauorum, Philippi Burgundi, Epiſcoporum Vltraiectinorum et hiſtoria ſuae aetatis

A. CIↃIↃXXXVII. IOANNES DRYANDER, medicus: IOANNES LONICERVS, graecae linguae Profeſſor. DRYANDER ſeu EICHMANN Wettera-Haſſus, medicinae pariter atque matheſeos peritiſſimus. Scripta ad aſtronomiam et anatomiam ſpectant. Denatus eſt a. 1560. LONICERVS Mansfeldenſis a. 1499, Argentorati olim docuerat, ac Friburgi: de

Marburgenſi academia egregie meruit, vbi et theologiam docendam accepit, fato conceſſit a. 1569, auguſtanam confeſſionem in graecum ſermonem vertit, Pindari carmina in latinum, haec et notis inſtruxit.

A. CIƆIƆXXXVIII. HELIVS, (ELIAS) EOBANVS HESSVS poëſeos Profeſſor: IOANNES STVDAEVS iureconſultus. EOBANVS natus eſt Bockendorfii in Haſſia a. 1488, Erfordiae Magiſter philoſophiae creatus a. 1509, vbi et Profeſſor poëſeos et eloquentiae conſtitutus eſt a. 1536, Norimbergam diſceſſit ſcholae Rector futurus, a. 1534 autem Erfordiam rediit, vnde Caſſellas excurrit, Landgrauio PHILIPPO carmen heroicum de eius rebus in Sueuia pro Duce VLRICO Wurtenbergenſi geſtis offerens. Biennio poſt Marburgum vocatus docendam hiſtoriam et poëſin: extremum diem confecit a. 1540, ſcripſit carmina latina egregia, epiſtolasque, Theocritum, et Homeri Iliada latinis verſibus reddidit. STVDAEVS mortuus eſt a. 1570.

A. CIƆIƆXXXIX. IOANNES DRYANDER Medicus iterum: REINHARDVS LORICHIVS Rhetor, Hadamarius, carminibus inclaruit.

A. CIƆIƆXXXIX. ADAMVS CRATO theologiae Profeſſor, iterum: IOANNES FERRARIVS Iureconſultus quartum:

A.

A. CIƆIƆXLI IOANNES DRYANDER, Profeſſor medicinae, tertium: IOANNES OLDENDORP Iureconſultus. OLDENDORPIVS Hamburgi natus eſt. A. 1529 Syndicus ciuitatis Roſtochienſis fuit, poſt Francofurti ad Viadrum Ius docuit, atque Coloniae, inde Marburgum euocatus a. 1540, Conſiliarii aulici addita deinceps dignitate. Animam efflauit a. 1567 magna nominis poſt ſe relicta fama. Scripſit Iſagogen iuris naturae, gentium et ciuilis et multas diſſertationes.

A. CIƆICXLII. CASPARVS RHODOLFI, Profeſſor dialectices, cui per alteram anni partem prorogatus eſt magiſtratus. RHODOLFI Canſtadio-Sueuus erat, deceſſit e vita a. 1561.

A. CIƆIƆXLIII. IOANNES STADAEVS Iureconſultus iterum: IOANNES CORNARIVS Profeſſor medicinae. CORNARIVS ſeu HANBVT, hoc enim verum nomen fuit, Zwickauiae in Miſnia natus erat a. 1500, rudimenta ſtudiorum Vitenbergae poſuit, vbi et a. 1523 Doctor creatus eſt. Poſt itinera per Galliam, Angliam, Belgium ſuſcepta phyſici munia impleuit Northuſae, Francofurti ad Moenum, Zwickauiae, deinde Profeſſorem medicinae Marburgi et Ienae egit. Exſtinctus eſt a. 1558. Vir ſuae aetatis clariſſimus, praeter varia ſcripta medica, Hippocratis, Dioſcoridis, Aetii, Aeginetae, Galeni, Platonis opera in latinum ſermonem tranſtulit. Platonem immen-

ſo amore proſequutus eſt adeo, vt verſioni ſuae praemitteret carmen, quod exſcribere iuuat.

Diuina, humana, alta, ima, in coelo, inque barathro,
Quicquid agunt homines, quicquid agitque Deus,
Omnia ſunt vni (in quantum eſt homo, dico) Platoni
Cognita cum recto et tradita iudicio.

A. CIↃIↃXLIV. NICOLAVS PLECHLER philoſophiae Profeſſor: IOANNES DRACONITES, theologus. PLECHLERVS Smakaldenſis fuit, praeter matheſin, docendam quoque accepit medicinam, Marburgo Erfordiam abiit, Comitis Schwarzburgici tandem Archiater. DRACONITES in lucem editus eſt Caroloſtadii in Franconia a. 1494, creatus Doctor theologiae Vitenbergae a. 1523, mox Profeſſor theologiae Erfordenſis, et ab a. 1534 Marburgenſis. Ob inſignes motus, quibus ſuperior Germania concutiebatur, a. 1547 munere ſe abdicauit, Lubecae priuatam vitam egit, a. 1551 Roſtochium ad Profeſſoris Theologiae et Paſtoris ad aedem S. Ioannis munus obeundum vocatus, paucis poſt annis Superintendentis quoque munere ei demandato. Ob multas controuerſias litesque Roſtochio excedere iuſſus a. 1560, Epiſcopus Pomeſaniae in Pruſſia factus eſt, ſed et hoc munere poſt annum abiit, et ad mortem vſque a. 1566 Vitenbergae vixit. Scripſit Commentarios in Prophetas ac Pſalmos aliquot, et polemica haud pauca.

A.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0020-4

A. CIↃIↃXLV. IOANNES FERRARIVS, Academiae Procancellarius, quintum Rector. IOANNES DRYANDER Medicus, quartum. Rectoris ac Procancellarii munus eo tempore igitur vni delatum videmus, quod nunc ſecus ſe habet.

A. CIↃIↃXLVI. IOANNES LONICERVS philoſophiae Profeſſor, iterum: ANDREAS HYPERIVS, theologus HYPERIVS ſeu potius GERHARDVS (a loco natiuitatis Yperis, Flandriae oppido, iſtud ſibi indidit nomen) vitae lumen adiit a. 1511. Pariſiis litteras docuit, tum poſt itinera per Galliam, Italiam, Germaniam, Angliam ſuſcepta Profeſſoris Theologiae in academia Marburgenſi obtinuit locum. Viuendi finem fecit a. 1564. Edidit ſcripta plurima theologici, mathematici ac phyſici argumenti. Libri eius de recte formandis concionibus, et de recte formandis ſtudiis theologicis, Catholicorum quoque excepti ſunt plauſibus.

A. CIↃIↃXLVII. IOANNES LERSNERVS, Iuris Profeſſor, qui ad finem vſque anni faſces academicos tenuit. Natus iſte erat Marburgi a. 1522, abiit e medio 1550.

A. CIↃIↃXLVIII IOANNES DRYANDER, medicinae Profeſſor, quintum: THEOBALDVS GERLACVS BELLICANVS, Eloquentiae et Hiſtoriarum Profeſſor; Hic a patria *Billickheim* in Palatinatu inferiore nomen mutuatus, Wilae Mini-

ſtrum verbi diuini egit, eiectus inde, quod Euangelicis ſacris ſuum adiecerat calculum, Nordlingae docuit, tum Marburgi Rhetorices et Hiſtoriarum Profeſſionem obtinuit, a. 1546 in hac academia Doctor iuris creatus eſt, naturae debitum reddidit a. 1554.

A. CIƆIƆXLIX. ANDREAS HYPERIVS, Theologus, iterum: IOANNES FERRARIVS, Procancellarius, ſextum.

A. CIƆIƆL. VOLCVINVS VIGELIVS, matheſeos Profeſſor: WIGANDVS HAPPELIVS Profeſſor Ebraeae linguae, VIGELIVS Wetteranus et matheſeos et medicinae Profeſſor fuit, tandem Landgrauii PHILIPPI Archiater, denatus eſt Caſſellis a. 1579. HAPPELIVS natus Marburgi a. 1522, et linguae hebraeae et iuris Profeſſor, vitam cum morte commutauit a. 1572, ſcripſit ſynopſin de tutela et curatione omnium.

A. CIƆIƆLI Eidem HAPPELIO per primam anni partem continuatus eſt magiſtratus: ſequebatur IOANNES FERRARIVS Procancellarius, ſeptimum Rector.

A. CIƆIƆLII. IOANNES DRYANDER medicus, ſextum: MATTHAEVS PHILO CAPELLA, Profeſſor Ethices. Hic peſte periit a. 1564.

A. CIƆIƆLIII. CAPELLAE prorogatus eſt magiſtratus per priorem anni partem: calendis Iuliis faſces cepit ADAMVS CRATO Profeſſor theologiae, tertium Rector.

A.

A. CIↃIↃLIV. IOANNES DRYANDER Medicinae Profeſſor ſeptimum Rector per integrum annum magiſtratum geſſit.

A. CIↃIↃLV. IOANNI OLDENDORPIO Iureconſulto, iterum Rectori idem vſu venit.

A. CIↃIↃLVI. IOANNES LONICERVS Theologiae et graecae linguae Profeſſor iterum Rector per integrum annum magiſtratui praefuit et quidem *vnanimi Profeſſorum decreto.*

A. CIↃIↃLVII. IOANNES FERRARIVS Procancellarius octauum Rectoratum per integrum annum geſſit; nec minus

A. CIↃIↃLVIII. WIGANDVS HAPPELIVS linguae ſacrae Profeſſor tertium Rector.

A. CIↃIↃLIX. BARTHOLDVS MEYER Theologus: IOANNES OLDENDORPIVS, Iuris et aequitatis Profeſſor, (hoc nomine ſe inſigniuit) tertium Rector. MEYERVS Alsfelda-Haſſus, natus erat a. 1528, in academia Marburgenſi Profeſſor graecae et latinae linguae, matheſeos et phyſices, tandemque theologiae, vnde Caſſellas ad obeundum munus Superintendentis et Concionatoris aulici euocatus eſt, vbi animam efflauit a. 1600.

A. CIↃIↃLX. CONRADVS MATTHAEVS Profeſſor rhetorices, per integrum annum Rector. Lucis vſura frui coeperat Alsfeldae a. 1516, Praeceptor Paedagogii Marburgenſis, deinde Profeſſor eloquentiae creatus, a. 1563 Doctoris Iuris honores impetrauit, triennio poſt Syndicus Academiae conſtitutus

 eſt

eſt ad eius bona iuraque tuenda, acceſſit poſtea Aſſeſſoris Dicaſterii Haſſiaci dignitas. Dum Rectoris munere fungebatur, ex veteribus nouisque Principum edictis Corpus legum academicarum compoſuit. Reuocauit legem de armis in ciuitate a ſtudioſis haud geſtandis, quo quidem patet, non belli tricennalis demum tempore gladii vſum in academiis inualuiſſe, quem ſententiam HEVMANNVS fouit, ſed longe vetuſtiorem eſſe. E viuis diſceſſit noſter a. 1580,

A. CIↃIↃLXI ANDREAS HYPERIVS Theologiae Profeſſor tertium Rector.

A. CIↃIↃLXII IOANNES OLDENDORPIVS Iureconſultus primarius, quartum.

A. CIↃIↃLXIII IOANNES LONICERVS Theologiae et graecae linguae Profeſſor, tertium.

A. CIↃIↃLXIV WIGANDVS HAPPELIVS Inſtitutionum Profeſſor, quartum.

A. CIↃIↃLXV CONRADVS MATTHAEVS Rhetor, iterum Rector ducentos et decem albo ſtudioſorum inſcripſit.

A. CIↃIↃLXVI per priorem anni partem CONRADVS MATTHAEVS tertium, quem excepit HENRICVS VIETOR, Theologiae Profeſſor. Hic Fridbergae natus, Marburgi primum logices, poſt Theologiae Profeſſor fuit, peſte occubuit a. 1581 ſcripta commentatione in Danielem.

A.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0024-7

A. CIƆIƆLXVII placuit, vt Rectoratus in futurum annuus ſit, et calendis Iuliis magiſtratus inchoetur. Creatus igitur eſt Rector Magnificentiſſimus OTTO S. R. I. Comes Solmenſis, Vicerectore ANTONIO HEYSTERMANN Iuris Profeſſore, Brakelenſi, qui obiit a. 1568.

A. CIƆIƆLXVIII GEORGIVS MAIIVS Medicinae Profeſſor faſces academicos tenuit, qui Wurzburgi natus a. 1533, Medicinae Profeſſor in Heidelbergenſi academia fuit, poſt in Marburgenſi, acceſſit dignitas Archiatri Haſſiaci. Inde Norimbergam diſceſſit Phyſici munere functurus. Tandem Heidelbergae Archiater Electoris Palatini conſenuit, denatus a. 1606. ſcripſit botanica quaedam et de terra ſigillata.

A. CIƆIƆLXIX CONRADVS MATTHAEVS Eloquentiae Profeſſor, quartum Rector, leges conſtituit, quibus ordo iuridicus vti iuſſus eſt.

A. CIƆIƆLXX HENRICVS VIETOR Theologus, iterum.

A. CIƆIƆLXXI VALENTINVS FORSTERVS, Profeſſor Iuris primarius, in lucem editus Vitenbergae a. 1530, poſitis ſtudiorum rudimentis Vitenbergae et Patauii, iter ſuſcepit per Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Biturigibus Doctor creatus Ingolſtadii et Vitenbergae ius docuit. Mox Praeſes Dicaſterii prouincialis Mindenſis conſtitutus, tum Anteceſſoris primarii Iuris in Academia Marburgenſi ei delata eſt prouincia, quam cum

 Heidel-

Heidelbergenſi mutauit a. 1580. Mortuus eſt Vitenbergae a. 1609.

A. CIↃIↃLXXII VICTORINVS SCHOENFELD medicinae et matheſeos Profeſſor, Budiſſinus, ſcriptis de peſte et dyſenteria et obſeruationibus aſtronomicis inclaruit.

A. CIↃIↃLXXIII CONRADVS MATTHAEVS Rhetor, quintum.

A. CIↃIↃLXXIV HENRICVS VIETOR, Theologus, tertium.

A. CIↃIↃLXXV. HERMANNVS LERSNER Profeſſor Iuris, qui ſeptuaginta nouem annos viuendo expleuit, et rude donatus Lengfeldae mortuus eſt a. 1613.

A. CIↃIↃLXXVI LERSNERO magiſtratum prorogauit Senatus academicus.

A. CIↃIↃLXXVII Rector Magnificentiſſimus electus eſt HIERONYMVS SCHLICK S. R. I. Comes in Paſſaun et Weiſſenkirchen, Vicerectore CONRADO MATTHAEO, qui albo inſeruit ducentos et tres.

A. CIↃIↃLXXVIII idem CONRADVS MATTHAEVS, Rhetor Academiae ſeptimum praefuit.

A. CIↃIↃLXXIX NICOLAVS RODINGVS Profeſſor Theologiae, natus a. 1519 Treyſa-Haſſus. Profeſſoris eloquentiae in academia Marburgenſi munere ſe abdicauit, et verbi diuini miniſter apud Milſungenſes factus eſt a. 1554 et apud Marburgenſes 1555. Vicennio poſt ad academiam rediit, et

a. 1576

a. 1576 Profeſſoris Theologiae locum obtinuit, e vita migrauit 1580. Scripſit potiſſimum latina carmina.

A. CIƆIƆLXXX REGNERVS SIXTINVS Profeſſor Iuris, Leouardio-Friſo, Aureliae Doctor iuris creatus eſt, munus iura extra ordinem docendi apud Marburgenſes auſpicatus eſt a. 1568, haud ita multo poſt ordinarius iuris Profeſſor, tandem ab anno 1591 Syndicus Francofurtanus, ex vita exceſſit a. 1617. Scripſit praeter alia librum de regalibus et exegeſin iuris canonici.

A. CIƆIƆXXXI SIXTINO prorogatus eſt magiſtratus.

A. CIƆIƆLXXXII Rector academiae creatus eſt HEIDERICVS THEOPHILVS LONICERVS logices et phyſices Profeſſor.

A. CIƆIƆLXXXIII DANIEL ARCVLARIVS, theologus, Caſſellis-Haſſus, denatus a. 1596, Commentarium in Eſaiam et Acta Apoſtolorum edidit.

A. CIƆIƆLXXXIV HERMANNVS LERSNERVS, Procancellarius, iterum Rector.

A. CIƆIƆLXXXV IOANNES WOLFIVS, medicinae Profeſſor, natus Tabernis Montanis in Ducatu Bipontino, Marburgi praeter locum in ordine medicorum honore Archiatri Caſſellani inſignis, morte occubuit a. 1616, edito praeter alia ſcriptum de acidulis Wildungenſibus.

A. CIↄIↄLXXXVI PETRVS NIGIDIVS Profeſſor philoſophiae moralis et Doctor iuris, Marburgenſis, Petri Nigidii Profeſſoris phyſices et Paedagogiarchae filius, mortuus eſt a. 1603, edito Profeſſorum Marburgenſium elencho.

A. CIↄIↄLXXXVII DANIEL ARCVLARIVS, Theologiae Profeſſor, iterum.

A. CIↄIↄLXXXVIII HERMANNVS LERSNERVS Procancellarius, tertium Rector.

A. CIↄIↄLXXXIX IOANNES WOLFIVS, Medicus, iterum.

A. CIↄIↄXC PHILIPPVS MATTHAEVS Eloquentiae Profeſſor, CONRADI filius, natus Marburgi a. 1554, patri ſucceſſit a. 1581 et eloquentiam docuit. Poſt decennium Profeſſor Inſtitutionum creatus, finem viuendi fecit a. 1603. In Magiſtratu albo inſcripſit ducentos et quatuor ſtudioſos. Orationibus et diſſertationibus iuridicis ſibi famam peperit.

A. CIↄIↄXCI DANIEL ARCVLARIVS Theologiae Profeſſor, tertium.

A. CIↄIↄXCII HERMANNVS VVLTEIVS, Profeſſor Iuris primarius, Wettera-Haſſus, natus a. 1555 vix annos nouemdecim natus, magiſter philoſophiae creatus, et viceſimo aetatis Paedagogii primarius Praeceptor conſtitutus eſt, quo munere autem poſt duo menſes ſe abdicauit, patre enim Iuſto Vulteio, ſacrarum linguarum Profeſſore iubente id ſuſceperat, quo mortuo iſtis ſe vinculis exuens Geneuam atque Italiam petiit.

Redux

Redux a. 1580 Profeſſoris graecae linguae, a. 1582 Profeſſoris iuris et Syndici academiae locum obtinuit: a. 1591 primarium inter Iureconſultos locum occupauit. Acceſſit Procancellarii dignitas a. 1605. Ob magnam rerum ciuilium prudentiam legationibus obeundis eum dignum iudicarunt Landgrauii, aulam enim Holſatam a. 1586, Danicam a. 1587, Brunſuicenſem 1589 adire iuſſus eſt. Ab Imperatore Ferdinando II Conſiliarii nomine ornatus et inter nobiles relatus eſt 1630. Inter mortales agere deſiit a. 1634. Multis egregiisque Scriptis, Conſiliis, Commentariis in Inſtitutiones et Codicem immortalitatem ſibi peperit.

A. CIƆIƆXCIII HERMANNVS WOLFIVS medicinae Profeſſor, a Landgrauio MAVRICIO in aulam Caſſellanam euocatus, vt Archiatri et Directoris ſupremi aedificiorum obiret munia, fato functus eſt a. 1620.

A. CIƆIƆXCIV PETRVS NIGIDIVS, Profeſſor moralium, iterum.

A. CIƆIƆXCV IOANNES WINKELMANN, theologus, Homburgo-Haſſus natus a. 1551; ſummos in philoſophia honores adeptus, ſcholae Homburgenſi praefectus eſt, tum alumnis principalibus Marburgenſibus Maioris, quem vocant, nomine praeeſſe iuſſus, a. 1582 Concionatoris aulici locum Caſſellis obtinuit, decennio reuoluto Profeſſor theologiae in Academia Marburgenſi conſtitutus eſt. Dimiſſus a. 1605 in Giſſenſi Aca-

demia Theologiam docuit, abiit e vita a. 1626 relictis Commentariis in prophetas minores et plures Noui Teſtamenti libros.

A. CIƆIƆXCVI PHILIPPVS MATTHAEVS, Iureconſultus, iterum.

A. CIƆIƆXCVII IOANNES WOLFIVS, medicus, tertium.

A. CIƆIƆXCVIII IOANNES FERINARIVS, hiſtoriarum Profeſſor, Neumarca-Sileſius, primum Rector ſcholae Freyſtadtenſis, tum inter Gymnaſii Brigenſis Doctores receptus, inde Profeſſor hiſtoriarum in academia Marburgenſi et Paedagogiarcha a. 1578. Animam efflauit a. 1602. Praeter alia in Carionis Chronicon commentatus eſt. In magiſtratu ſuo ducentos nonaginta duo in numerum ſtudioſorum retulit.

A. CIƆIƆXCIX Rectoris Magnificentiſſimi nomine inſigniebatur VOLCMARVS WOLFGANG L. B. A PVTBVS Vicerectore IOANNE MOLTHERO, linguae hebraeae Profeſſore, hoc autem ad eccleſiaſticum munus Fridbergae obeundum euocato Vicerector electus eſt IOANNES FERINARIVS hiſtoriarum Profeſſor. MOLTHERVS lucem adſpexerat Battenbergae in Haſſia a. 1561, ſacro muneri apud Grunbergenſes praefuit, tum Profeſſor Marburgum vocatus. Abiit Fridbergam a. 1599, vnde redux a. 1605 Profeſſoris Marburgenſis et Eccleſiaſtae Eliſabethani munere functus eſt, naturae debitum reddidit a. 1618, editis ſcriptis de forma et quantitate anni diluuiani, de diuerſo

eſu

eſu agni paſchalis, theſibus theologicis variis. Hoc anno Senatus academici ſuffragiis eſt decretum, vt nouus Rector in poſterum calendis Ianuariis eligerentur, auſpicareturue munus. Factum eſt huius rei initium

A. CIↃIↃC IOANNE WINKELMANNO theologo, iterum Rectore.

A. CIↃIↃCI magiſtratum geſſit HERMANNVS VVLTEIVS Iureconſultus iterum.

A. CIↃIↃCII IOANNES WOLFIVS medicinae Profeſſor, quartum.

A. CIↃIↃCIII IOANNES HARTMANN matheſeos Profeſſor, Amberga-Palatinus, poſt Schoenfeldium ab a. 1591 Marburgi docuit matheſin: a. 1609 Profeſſor chemiae conſtitutus eſt, nouo et inaudito tum in academiis germanicis exemplo; acceſſit dignitas Conſiliarii atque Archiatri Haſſiaci. Extremum diem morte confecit a. 1631, ſcripſit praeter alia praxin chymiatricam.

A. CIↃIↃCIV BALTHASAR MENZER theologiae Profeſſor, Allendorfia-Haſſus, natus a. 1565; primum Maior, quem vocant, alumnorum principalium, poſt verbi diuini miniſter apud Kirtorfenſes, a. 1506 demum Profeſſor theologiae atque Ephorus, a. 1605 Giſſam abiit, vnde 1627 Marburgum redux e vita exceſſit a. 1627. Polemicis, pro iſtius ſaeculi more, ſcriptis potiſſimum celebritatem nominis ſibi peperit.

A. CIƆIƆCV IOANNES GOEDDAEVS Iureconſultus, Sweſta-Marcanus, natus 1555, Profeſſor Herbornenſis a. 1588, Marburgenſis 1594, viuere deſiit 1632 editis multis ſcriptis iuridicis, de pactis, de pignoribus, de ſequeſtratione et poſſeſſione fructuum, de perplexa ſubſtitutionum materia, medulla iuris feudalis, von den freyen Reichsſtaenden, ihrem Stand und Regalien, Waſſerrecht, de imperiali banno; aliis diſputationibus, quae ſimul editae ſunt.

A. CIƆIƆCVI IOANNES WOLFIVS, medicinae Profeſſor, quintum.

A. CIƆIƆCVII IOANNES HARTMANN Profeſſor matheſeos, iterum.

A. CIƆIƆCVIII GREGORIVS SCHOENFELD, primarius theologiae Profeſſor, Zehna-Saxo, natus a. 1559, Superintendens Delitſchenſis, poſt Dreſdenſis, et Electori Saxoniae a concionibus aulicis, eiectus inde, quod reformatis fauere viſus, a Landgrauio MAVRICIO Superintendens Caſſellanus et Concionator aulicus eſt conſtitutus mox a. 1607 in Marburgenſi academia Profeſſoris theologiae primarii prouinciam ſuſcipere iuſſus. Scripta eius polemici ſunt argumenti.

A. CIƆIƆCIX Rector magnificentiſſimus MAVRICIVS Landgrauius Haſſiae, Vicerector HERMANNVS VVLTEIVS Iureconſultus, tertium ſceptris academicis potitus.

A.

A. CIↃIↃCX Rector magnificentiſſimus, GVILIELMVS, Landgrauius Haſſiae, Vicerector NICOLAVS BRAVN medicinae Profeſſor, qui a. 1639 animam efflauit, editis quaeſtionibus medicis de fumo tabaci.

A. CIↃIↃCXI RVDOLPHVS GOCLENIVS philoſophiae Profeſſor, Corbaco-Waldeccenſis, natus a. 1547, Caſſellis Marburgum euocatus a. 1581 Profeſſor phyſices, acceſſit logices, et a. 1603 ethices Profeſſio, ſeu docendi prouincia: deceſſit a. 1628. Summus ſuae aetatis philoſophus, logicas inſtitutiones, conciliatorem philoſophicum, philoſophiam practicam, ideam philoſophiae platonicae, analyſin exercitationum Scaligeri, miſcellanea theologica et philoſophica ſcripſit.

A. CIↃIↃCXII GREGORIVS SCHOENFELD, theologus, iterum.

A. CIↃIↃCXIII Rector magnificentiſſimus ERASMVS L. B. A STAHRENBERG, Vicerector IOANNES GOEDDAEVS Profeſſor iuris, iterum.

A. CIↃIↃCXIV IOANNNES HARTMANN medicus, tertium.

A. CIↃIↃCXV THEODORVS VIETOR graecae linguae Profeſſor Licha-Solmenſis, natus a. 1560, ſcholae Caſſellanae Conrector a. 1585, Profeſſor Marburgenſis a. 1595; acceſſit a. 1603 paedagogiarchae munus, a. 1639 rude donatus, e viuis exceſſit a. 1644. Homeri Odyſſeam latino carmine reddidit.



A.

A. CIↃIↃCXVI CASPARVS STVRMIVS, theologus Gudensbergenſis olim Eccleſiaſtes, Marburgum vocatus a. 1605 ad obeunda Profeſſoris theologiae munia: acceſſit poſtea Aſſeſſoris Conſiſtorii eccleſiaſtici dignitas, a. 1624 Gudensbergam rediit, vbi a. 1625 mortuus eſt. Scripſit bella Ioſuae verſu Virgiliano, de mundi origine et alia nonnulla.

A. CIↃIↃCXVII CHRISTOPHORVS DEICHMANN Steinfurto-Weſtphalus Iureconſultus, natus a. 1576, per Galliam et Italiam itinere ſuſcepto, a. 1605 Doctor iuris Marburgi creatus eſt, haud ita multo poſt Profeſſor iuris. Deinde Cancellarius Lippiacus et Vicepraeſes iudicii aulici, poſt Legatus Suecicus, tum Cancellarius Mecklenburgicus, tandem Legatus Haſſiacus: dum hoc munere fungebatur, mortuus eſt Hamburgi a. 1648.

A. CIↃIↃCXVIII GEORGIVS CRVCIGER logices et metaphyſices Profeſſor, natus Merſeburgi a. 1575. Poſt logicam iuſſus hebraeam linguam docere, et tandem theologiam. Synodo Dordracenae interfuit, a. 1624 a Landgrauio Ludouico dimiſſus Caſſellis munus Profeſſoris obtinuit, vbi mortuus eſt a. 1637 edita harmonia quatuor linguarum cardinalium.

A. CIↃIↃCXIX eidem CRVCIGERO Rectoratum prorogauit Senatus.

A. CIↃIↃCXX IOANNES CROCIVS theologus primarius, Laſpha-Witgenſteinenſis, natus 1590, primum Caſſellis atque Regiomonti a ſacris concionibus eſſe iuſſus, tum Profeſſoris the-

ologiae

ologiae in academia Marburgenſi et Paſtoris et Conſiliarii eccleſiaſtici munus obtinuit. In magna iſta rerum Haſſiacarum conuerſione, quum academia Marburgenſis Darmſtadinis cederet, CROCIVS noſter Caſſellas abiit a. 1629, colloquio Lipſienſi interfuit a. 1631, cum reſtaurata academia poſt Weſtphalicam pacem rediit Marburgum, fatoque functus eſt a. 1659 editis multis ſcriptis polemicis et exegeticis.

A. CIↃIↃCXXI ANTONIVS MATTHAEVS Profeſſor Iuris, Conradi filius, natus a. 1564 Francobergae, quo academia vitandae peſtis cauſſa diuerterat. Marburgi Doctor iuris creatus a. 1594, ius docuit, a. 1597 Herbornae Profeſſor iuris conſtitutus eſt, Marburgi a. 1605, hinc a. 1625 ad Groningenſem academiam abiit, vbi a. 1637 naturae conceſſit. Inter ſcripta eius eminent *ſex collegia iuris.*

A. CIↃIↃCXXII IOANNES COMBACHIVS Profeſſor philoſophiae n. 1585, in academia Marburgenſi logica docenda ei tradita eſt, a. 1612 autem phyſicam, Caſſellis theologiam et philoſophiam docuit. Scripſit logicam, metaphyſicam et phyſicam.

A. CIↃIↃCXXIII IOANNES CROCIVS theologus, iterum.

A. CIↃIↃCXXIV idem CROCIVS tertium.

A. CIↃIↃCXXV academia Marburgenſis Landgrauio Darmſtadino parere iuſſa accepit Rectorem BALTHASAREM MENTZERVM theologum iterum.

A. CIↃIↃCXXVI creatus eſt Rector magnificentiſſimus HENRICVS Landgrauius Haſſiae, Prorectore IOANNE BREIDENBACH Iureconſulto.

A. CIↃIↃCXXVII IACOBVS MVELLER medicinae et matheſeos Profeſſor, Torgauia-Saxo, denatus a. 1637 editis compendiis geometriae et arithmeticae, ſciagraphia ſolis, exercitatione de natura motus animalis ac voluntarii.

Celebrauit academia Marburgenſis ſaecularia ſacra, nec tamen MVELLERVS magiſtratu abiit, quod in eiusmodi ſolennibus nonnunquam vſu venire ſolet.

A. CIↃIↃCXXVIII Rector magnificentiſſimus FRIDERICVS Landgrauius Haſſiae, Prorectore IOANNE HENRICO TONSORE Profeſſore phyſices. Hic olim Profeſſor Giſſenſis, poſt Marburgenſis iuncto Paedagogiarchae munere, a. 1632 theologiae Profeſſor creatus eſt.

A. CIↃIↃCXXIX IVSTVS FEVERBORN, theologiae Profeſſor Herfordia-Weſtphalus, natus a. 1587. Eccleſiaſtes aulicus Darmſtadinus, poſt Profeſſor theologiae et verbi diuini miniſter Giſſenſis, deinceps Marburgenſis, et tandem redeunte ſub poteſtatem Caſſellanam Marburgo, iterum Giſſenſis. Vitam cum morte commutauit a. 1656. Inclaruit potiſſimum ſcriptis polemicis.

A.

A. CIↃIↃCXXX ANTONIVS NESENVS iuris Anteceſſor, Schlanga-Lippiacus, mortuus eſt a. 1640 Procancellarii dignitate inſignis.

A. CIↃIↃCXXXI IOANNES KEMPFIVS medicinae Profeſſor, denatus a. 1634. Scripſit de acidulis Schwalbacenſibus.

A. CIↃIↃCXXXII THEODORVS HOEPINGK Profeſſor eloquentiae et hiſtoriarum, Suſato-Weſtphalus, natus a. 1591, Marburgenſem prouinciam cum munere Syndici Fridbergenſis commutauit, morte functus a. 1641 editis praeter alia commentariis in Inſtitutiones, et libro de inſignium et armorum iure.

A. CIↃIↃCXXXIII IOANNES STEVBER theologiae Profeſſor et alumnorum ephorus natus 1590, denatus 1643 editis vita S. Eliſabethae, et diſputationibus theologicis maximam partem polemicis.

A. CIↃIↃCXXXIV IVSTVS SINOLD DICTVS SCHVETZ Iureconſultus, Buzbaco-Haſſus, natus a. 1592. Summos in Iure honores Giſſae adeptus a. 1620 docere coepit, triennio poſt Profeſſoris iuris extraordinarii munus obtinuit: a. 1625 Marburgum abiit Profeſſor iuris publici extraordinarius in hac academia conſtitutus, poſt annum locum inter Profeſſores iuris ordinarios obtinuit, a. 1640 Procancellarii academiae et Profeſſoris iuris primarii dignitate ornatus, Comitis Ratisbonenſibus Legatus interfuit, et Oſnabrugenſi pacificationi, a. 1650 reſtauratae academiae Giſſenſis non minus ac regiminis Cancellarius et Con-

ſiliarius intimus factus eſt. Naturae debitum reddidit a. 1657, editis exercitationibus in Inſtitutiones, collegio pandectarum, diſſertationibus de ſtatu rei romanae, collegio feudali.

A. CIↃIↃCXXXV IACOBVS MVELLER medicinae et matheſeos Profeſſor, iterum.

A. CIↃIↃCXXXVI CASPARVS EBELIVS logices et metaphyſices Profeſſor, Giſſa-Haſſus, olim Rector Gymnaſii Vormatienſis, deinde Profeſſor philoſophiae in academia Marburgenſi, poſt Giſſenſi, vbi defunctus eſt a. 1664. Scripſit hermetem logicum, diſſertationes metaphyſicas, de regimine Iudaeorum, de iudiciis aſtrorum.

A. CIↃIↃCXXXVII MENO HANNEKENIVS theologiae et hebraeae linguae Profeſſor, Blexa-Oldenburgenſis, natus a. 1595, Conrector ſcholae Oldenburgenſis a. 1619, quo munere poſt triennium ſe abdicauit, multas inuiſurus academias, a. 1626 Profeſſor moralium in academia Marburgenſi, poſt annum theologiae et linguarum ſacrarum Profeſſor et ephorus creatus eſt, a. 1646 Superintendentis Lubecenſis munus auſpicatus eſt, morte exſtinctus a. 1671, polemicis ſcriptis potiſſimum dedit operam.

A. CIↃIↃCXXXVIII IOANNES KORNMANN iuris Profeſſor, Hamelburgo-Fuldenſis, a. 1625 eloquentiae et hiſtoriarum, triennio poſt moralium, tandem iuris Profeſſor, viuendi finem

fecit

fecit a. 1656 editis praeter diſputationes tractationibus, Iuſtinianeis et inſtitutionibus iuris.

A. CIƆIƆCXXXIX IOANNES CONRADVS SCHRAGMVELLER Profeſſor phyſices, Grunſtadio-Leiningenſis. Menſe Septembri huius anni Spiram abiit, Paſtoris primarii, Adſeſſoris Conſiſtorii et Inſpectoris Gymnaſii honorem aditurus, vbi mortuus eſt a. 1675, editis eclogarum phyſicarum prodromo, tractatu ſtoicheologico ſiue de elementis et polemicis nonnullis.

A. CIƆIƆCXL IOANNES HENRICVS TONSOR theologiae Profeſſor, iterum.

A. CIƆIƆCXLI IOANNES BREIDENBACH Iureconſultus, iterum Rector.

A. CIƆIƆCXLII IOANNES DANIEL HORSTIVS, medicinae Profeſſor, natus Giſſae a. 1620. Profeſſor Marburgenſis, poſt Giſſenſis, tandem phyſicus Francofurtanus. Mortalitatem exuit a. 1685 multis ſcriptis clarus, inprimis phyſica Hippocratea, anatome corporis humani tabulis comprehenſa, obſeruationibus de acidulis Schwalbacenſibus et thermis variis.

A. CIƆIƆCXLIII Rector magnificentiſſimus LVDOVICVS Landgrauius Haſſiae, Prorectore IOANNE BALTHASARE SCHVPPIO eloquentiae et hiſtoriarum Profeſſore, nato Giſſae a. 1610. Marburgi praeter Profeſſoris munus ad aedem D. Eliſabethae verbi diuini miniſtri locum obtinuit, poſt Butisbaci Superintendentem et Concionatorem aulicum egit, tandem a. 1649 Ham-

burgum abiit Paſtor ad aedem D. Iacobi futurus, vbi defunctus eſt a. 1661, vir, ſi quisquam alius a praeiudicatis ſui ſaeculi opinionibus immunis, et acuti iudicii.

A. CIↃIↃCXLIV Rector magnificentiſſimus GEORGIVS iunior, Landgrauius Haſſiae, Prorectore IVSTO FEVERBORNIO theologo primario, iterum.

A. CIↃIↃCXLV ERNESTVS AVGVSTVS, Dux Brunſuico-Luneburgenſis, Rector magnificentiſſimus, Prorectore IOANNE WALTHER Iureconſulto, Hersfelda-Haſſo, qui obiit a. 1647.

A. CIↃIↃCXLVI IOANNES TILEMANN medicinae Profeſſor, aſtrologiae deditus aliisque vanis artibus, adeo vt amuletum, magnis viribus, vt ſibi videbatur, pollens, publici iuris faceret. Scripſit praeterea Tilemannum Coum, ſiue praxin Hippocraticam e tenebris erutum.

A. CIↃIↃCXLVII CASPARVS EBELIVS logices et metaphyſices Profeſſor, iterum Rector.

A. CIↃIↃCXLVIII IOANNES HENRICVS TONSOR, theologiae Profeſſor, tertium.

A. CIↃIↃCXLIX IOANNES KORNMANN Iureconſultus, iterum.

Rediit poſt pacem Weſtphalicam Marburgum ſub poteſtatem Haſſo-Caſſellanam. Euocati Giſſam, qui Marburgi docuerant, Profeſſores, nouamque quaſi induit formam reſtituta a Landgrauio GVILIELMO VI academia Marburgenſis. Tres autem effluxerunt.

runt anni, antequam cuncta redigerentur in ordinem, nouusque crearetur Rector academiae.

A. CIↃIↃCLIII d. XVI Iunii demum magiſtratum quartum academicum adiit IOANNES CROCIVS, theologus.

A. CIↃIↃCLIV Idem CROCIVS quintum faſces tenuit iuſſu Principis.

A. CIↃIↃCLV ERICVS GRAFFIVS iuris Profeſſor, Dicaſterii prouincialis Aſſeſſor, mox et academiae Procancellarius, natus 1607, denatus a. 1683. Scripſit de acceſſione continua naturali, de alienatione, de iure protimiſeos, de iudice idoneo, de nuptiis, de diſpoſitione teſtamentorum et codicillis, de conceſſione veniae aetatis.

A. CIↃIↃCLVI CHRISTANVS FRIDERICVS CROCIVS medicinae et linguarum hebraeae et graecae Profeſſor, denatus a. 1673. Scripſit de haemorrhoidum curatione, de morbis thoracis, de morbo capitis, de elephantiaſi.

A. CIↃIↃCLVII GEORGIVS STANNARIVS Profeſſor philoſophiae, Marburgo-Haſſus, natus a. 1610, primum Eccleſiaſtes reformati coetus apud Fuldenſes a. 1631, poſt triennium Profeſſor metaphyſices, logices et phyſices Caſſellanus, a. 1653 Marburgi munus Profeſſoris philoſophiae obtinuit, a. 1660 in theologorum ordinem relatus, animam efflauit a. 1669, editis diſputationibus theologico-polemicis et limitatione canonum logicorum.

A. CIↃIↃCLVIII SEBASTIANVS CVRTIVS Profeſſor theologiae, natus Caſſellis a. 1620, Concionatorem caſtrenſem egit, poſt Profeſſorem Caſſellanum, a. 1653 in academia Marburgenſi Profeſſor theologiae, Ephorus et verbi diuini Miniſter creatus eſt. Interfuit a. 1661 colloquio Caſſellano, e vita migrauit a. 1684 diſſertationibus theologicis editis.

A. CIↃIↃCLIX IOANNES KLEINSCHMIDT, iuris Profeſſor, Marburgo-Haſſus, qui vita exceſſit a. 1663. Scripſit analyſin logicam inſtitutionum, praecognita iurisprudentiae, de principiis et ſtudio iuris, praeter diſſertationes nonnullas iuridicas.

A. CIↃIↃCLX CONRADVS THEODORVS LINCKER Profeſſor medicinae et eloquentiae, editis diſputationibus medicis, carminibus, et theatro hiſtorico politico clarus.

A. CIↃIↃCLXI SEBASTIANVS CVRTIVS, Profeſſor theologiae, iterum.

A. CIↃIↃCLXII IOANNES HARTMANN KORNMANN Iureconſultus, Marburgo-Haſſus, primum Profeſſor ethices et politices, poſt iuris canonici: acceſſit Conſiliarii Haſſiaci dignitas, exſpirauit a. 1673. Scripſit ſciagraphiam ſubſtitutionum, de iurisdictione, de iure legatorum, duas decurias poſitionum controuerſarum ex iure feudali cum Saxonico et publico collectarum, de tutela in genere, de inſtrumentis in genere.

A. CIↃIↃCLXIII CHRISTIANVS FRIDERICVS CROCIVS, Profeſſor medicinae et linguarum orientalium, iterum Rector.

A. CIↃIↃCLXIV HENRICVS DVYSING Profeſſor moralium et Paedagogiarcha, natus Bremae a. 1628, a. 1656 extraordinarii Profeſſoris locum obtinuit, ordinarii a. 1658 in academia Marburgenſi, poſt in theologorum numerum cooptatus a. 1670 naturae debitum reddidit a. 1691. Scripſit de conſeruatione reformatae et lutheranae eccleſiae et diſſertationes theologicas multas.

A. CIↃIↃCLXV IOANNES HEINIVS Profeſſor theologiae, Gudensberga-Haſſus, Profeſſor philoſophiae Herbornenſis, tum in academia Marburgenſi 1661 theologiae Profeſſor atque Ephorus, e medio diſceſſit a. 1686 ſcriptis exercitationibus theologicis, philoſophicis et miſcellaneis.

A. CIↃIↃCLXVI IOANNES HELFRICH DEXBACH Profeſſor iurium, quae extra ordinem ab a. 1659 docuerat, Profeſſoris ordinarii locum obtinuit a. 1660, natus erat a. 1630, denatus a. 1683.

A. CIↃIↃCLXVII CHRISTIANVS FRIDERICVS CROCIVS, medicinae et linguarum orientalium Profeſſor, tertium.

A. CIↃIↃCLXVIII HENRICVS DVYSING Profeſſor theologiae, iterum.

A. CIↃIↃCLXIX GREGORIVS STANNARIVS Profeſſor philoſophiae, iterum.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0043-3

A. CIƆIƆCLXX ARNOLDVS MAVRICIVS HOLTERMANN Profeſſor iuris, Tecklenburgo-Weſtphalus, Profeſſor iuris in gymnaſio Steinfurtenſi, tum in academia Marburgenſi hiſtoriarum et eloquentiae, a. 1661 vero iuris Anteceſſor, acceſſit Conſiliarii Haſſiaci dignitas. Exceſſit e viuis a. 1681, quinquaginta quatuor annos natus. Magnam nominis famam ſibi peperit Commentariis in inſtituta, in legem regiam ſeu rationem ſtatus S. R. I., in Florum ac diſſertationibus iuridicis.

A. CIƆIƆCLXXI HENRICVS MAIVS Profeſſor medicinae et phyſices, paucis menſibus ante in Profeſſorum ordinem cooptatus, antea Profeſſor Rintelenſis ab a. 1665. Abiit Caſſellas Archiatri munere functurus a. 1682, vnde poſt triennium Rintelium reuerſus, diem ſupremum obiit a. 1696. Scripſit praeter alia ſynopſin phyſicae veteris et nouae.

A. CIƆIƆCLXXII Rector magnificentiſſimus PHILIPPVS ERNESTVS S. R. I. Comes Yſenburgicus, Prorectore NICOLAO BERTHOLDO logices et metaphyſices Profeſſore, qui extra ordinem docere iuſſus a. 1660, biennio poſt ordinarius Profeſſor creatus eſt.

A. CIƆIƆCLXXIII IOANNES GEORGIVS CROCIVS theologiae Profeſſor, Ioannis filius, Caſſellis-Haſſus, munus Profeſſoris theologiae a. 1662 auſpicatus eſt, corporis vinculis exſolutus a. 1674.

A.

A. CIƆIƆCLXXIV ERICVS GRAFFIVS, academiae Procancellarius, iterum Proreƈtor.

A. CIƆIƆCLXXV HENRICVS DVISING theologus, tertium.

A. CIƆIƆCLXXVI PHILIPPVS ERNESTVS, S. R. I. Comes Schaumburgo-Lippiacus, Reƈtor magnificentiſſimus, Proreƈtore iterum, IOANNE HELFRICH DEXBACH Iureconſulto.

A. CIƆIƆCLXXVII IOANNES IACOBVS WALDSCHMIDT, medicinae Profeſſor, Rudhemii in Wetterauia natus a. 1644, Profeſſor Marburgenſis a. 1670, acceſſit poſt Archiatri Haſſiaci dignitas, viuis exceſſit a. 1689 contraƈto in caſtris morbo; Landgrauio Carolo enim aduerſus Gallos bellum gerenti comes adhaeſerat. Scripſit praeter alia inſtitutiones medicas, miſcellanea phyſica, cum amico ſuo IOANNNE DOLAEO liquorem antiuariolosum inuenit.

A. CIƆIƆCLXXVIII SAMVEL ANDREAE hiſtoriarum et eloquentiae Profeſſor, natus Dantiſci a. 1640, a. 1665 Herbornae munus Profeſſoris graecae linguae et Paedagogiarchae obtinuit. Baſileae Doƈtor theologiae creatus a. 1667. Tum prouincia Profeſſoris eloquentiae et hiſtoriarum, ac Bibliothecarii in academia Marburgenſi ipſi delata a. 1673. Quum magiſtratu academico huius anni abiiſſet, inter theologiae Profeſſores cooptatus, vitam reliquit a. 1699 editis diſſertationibus, ſcriptisque nonnullis polemicis et examine generali cabbalae philoſophicae Henrici Mori.

A. CIↃIↃCLXXIX REINOLDVS PAVLI Profeſſor theologiae, natus Dantiſci a. 1638, Profeſſor primum gymnaſii Steinfurtenſis, euocatus Marburgum a. 1670 ad docendam theologiam extra ordinem, et obeundum munus eccleſiaſticum, a. 1674 inter Profeſſores theologiae ordinarios allectus, diem obiit a. 1682, editis ſcriptis nonnullis maximam partem polemicis.

A. CIↃIↃCLXXX ARNOLDVS MAVRICIVS HOLTERMANN iureconſultus, iterum.

A. CIↃIↃCLXXXI HENRICVS MAIVS, medicinae et phyſices Profeſſor, iterum.

A. CIↃIↃCLXXXII NICOLAVS PRICKIVS, iuris et moralium Profeſſor, primum Conſiliarius Haſſiacus, tum a. 1671 politices, poſt moralium, tandem iuris canonici Profeſſor, e vita migrauit a. 1693. Scripſit de melioratione bonorum, diſputationes 5 ad inſtitutiones, de aſylo ob religionis perſequutionem refugorum.

A. CIↃIↃCLXXXIII SEBASTIANVS CVRTIVS theologus, tertium.

A. CIↃIↃCLXXXIV IOANNES TESMARVS Profeſſor iuris primarius, diſſertationibus iuridicis et commentario in Hugonem Grotium de iure belli et pacis et vindiciis iuris naturae clarus.

A. CIↃIↃCLXXXV IOANNES IACOBVS WALDSCHMIDT, medicinae et phyſices Profesſor, iterum.

A.

A. CIƆIƆCLXXXVI Quod in medico ac philoſophico ordine locum habebat WALDSCHMIDIVS, idem ex philoſophico ordine hoc anno electus et tertium Rector creatus eſt.

A. CIƆIƆCLXXXVII HENRICVS DVISING Profeſſor theologiae primarius, quartum.

A. CIƆIƆCLXXXVIII NICOLAVS PRICKIVS Iureconſultus, iterum. Huius magiſtratus memoriam grata mente recolet poſteritas, quod PRICKIO ferente et curante, aerarium conſtitutum eſt, ex quo viduis Profeſſorum annuae penſiones ſoluuntur.

A. CIƆIƆCLXXXIX IOANNIS DANIEL DORSTENIVS, medicinae Profeſſor, natus Marburgi a. 1643, ab a. 1673 extra ordinem docuit medicinam, et ab a. 1678 ordinarius eius Profeſſor: deceſſit a. 1706. Scripſit de peſte, de phtiſi, commendationem rei botanicae, de ductu thoracico chylefero, de anatomia oculi, de natura medicinae.

A. CIƆIƆCXC IOANNES HENRICVS KLEINSCHMIDT moralium Profeſſor, Marburgo-Haſſus, natus 1652, ſummos in iure honores adeptus a. 1680, Profeſſor moralium dictus a. 1682, anno poſt iuris extra ordinem docendi acceſſit prouincia: inter iureconſultos ordinarios cooptatus a. 1692, naturae debitum reddidit a. 1732. Scripſit de ſuſpecto gallorum iudicio, de dextra iuris interpretatione, de facti ſpecie controuerſa, de forma iurisiurandi ciuili, de laudo, de pacto de rem petendo cet.

A. CIↃIↃCXCI PHILIPPVS IOANNES TILEMANN DICTVS SCHENCK, Profeſſor theologiae, natus Buckeburgi a. 1640 peragratis Belgio, Gallia, Italia, Anglia, a concionibus aulicis Ducis Brunſuicenſis Sophiae Eliſabethae eſſe iusſus, tum Hanouiam, inde Marburgum a. 1685 euocatus, vt Profeſſoris theologiae, Paſtoris eccleſiae reformatae, et Conſiliarii conſiſtorii honoribus fungeretur; ex hac vita migrauit a. 1708. Scripſit commentarium in epiſtolam Iudae, et multas diſputationes.

A. CIↃIↃCXCII IOANNES GOEDDAEVS, Iureconſultus, Caſſellis-Haſſus, natus a. 1651, Doctoris gradum a. 1678 obtinuit, iura extra ordinem docere iusſus a. 1682, Anteceſſor ordinarius a. 1683, Conſiliarius in Dicaſterio aulico a. 1691 creatus, finem viuendi fecit a. 1719.

A. CIↃIↃCXCIII IOANNES DANIEL DORSTENIVS, medicus, iterum.

A. CIↃIↃCXCIV GEORGIVS OTHO Profeſſor graecae et orientalium linguarum ac poëſeos, Sarrenhuſa-Haſſus, natus a. 1634, Detmoldenſis ſcholae Conrector a. 1656, tum Caſſellis priuatam ſcholam a. 1665 inſtituit, a. 1670 Hanouienſis ſcholae Rector creatus, poſt ſexennium ſcholae Caſſellanae Conrector, a. 1679 in Marburgenſi academia Profeſſoris ſpartam obtinuit, denatus a. 1713.

A. CIↃIↃCXCV SAMVEL ANDREAE theologus, iterum.

A.

A. CIↃIↃCXCVI OTTO PHILIPPVS ZAVNSCHLIFFER Iureconſultus, natus Hanouiae a. 1653, Doctor iuris Heidelbergae renunciatus a. 1678, mox cauſarum patronum in Dicaſterio Hanouienſi egit, a. 1682 in academiam Marburgenſem euocatus, vt Profesſoris hiſtoriarum atque eloquentiae et Syndici vniuerſitatis munere fungeretur; acceſſit anno ſequente extraordinaria, quam vocant, Profeſſio iuris, et a. 1684 ordinaria, cuius ad mortem vſque a. 1729 egregie obiit munia. Inclaruit commentario in Meuii deciſiones, diſputationibus variis, inter quas eſt, de Ioannae Papisſae hiſtoria ab omni fabularum ſuſpicione abſoluta.

A. CIↃIↃCXCVII DANIEL NEBEL medicinae Profesſor, natus Heidelbergae 1664, vbi ab a. 1691 medicinam extra ordinem docuit, pulſus inde bello gallico, Marburgi a. 1693 extraordinarius medicinae Profesſor euaſit, ordinarius a. 1694. Rediit in patriam a. 1705 primarii Profesſoris et medici aulici honore inſignis: acceſſit a. 1718 Conſiliarii intimi dignitas: ſupremum diem confecit a. 1733. Scripſit de nouis huius ſaeculi inuentis botanicis, de paſſione iliaca, de curatione per exſpectationem, de plantis verno tempore vſualibus, de plantis incipiente aeſtate florentibus, de plantis vergente aeſtate florentibus.

A. CIↃIↃCXCVIII LVDOVICVS CHRISTIANVS MIEG Profesſor hiſtoriae eccleſiaſticae, natus Heidelbergae a. 1668, Rintelii Profesſor graecae linguae et verbi diuini miniſter a. 1691, in

Marburgenſi academia Profeſſor et Paſtor coetus reformati a. 1694, ordini theologorum adſcriptus a. 1697. Tandem Heidelbergam rediit a. 1706 Conſiliarii eccleſiaſtici, Profeſſoris theologiae, et Paſtoris ad aedem S. Spiritus muneribus functurus, fato functus eſt a. 1708.

A. CIƆIƆCXCIX IOANNES LAVRENTIVS CROLLIVS, theologiae Profeſſor Rothenburgo-Haſſus, natus a. 1641, Herbornae a. 1673 Profeſſor eloquentiae conſtitutus, a. 1680 philoſophiae Profeſſor in academia Heidelbergenſi, mox et Praeceptor primarius collegii ſapientiae: a. 1686 honoribus Doctoris theologiae ornatus, et a. 1692 Profeſſor theologiae creatus. Exuſta autem ſequente anno a gallis Heidelberga, extorris Haſſiam petiit, Profeſſoris theologiae et Paedagogiarchiae munus impetrauit, cui ad mortem a. 1709 praefuit. Scripſit vindicias Turretini contra Oſiandrum, diſputationes de theologiae naturalis inſufficientia ad ſalutem.

A. CIƆIƆCC IOANNES HENRICVS KLEINSCHMIDT Iureconſultus, iterum,

A. CIƆIƆCCI IOANNES DANIEL DORSTENIVS medicinae et phyſices Profeſſor, tertium Rector,

A. CIƆIƆCCII idem DORSTENIVS quartum, ratione muneris philoſophici, quo fungebatur.

A. CIƆIƆCCIII LVDOVICVS CHRISTIANVS MIEG theologus, iterum.

A.

A. CIↃIↃCCIV IOANNES GOEDDAEVS Iureconſultus, iterum.

A. CIↃIↃCCV DANIEL NEBEL Profeſſor medicinae, iterum.

A. CIↃIↃCCVI GEORGIVS OTHO philoſophiae Profeſſor, iterum.

A. CIↃIↃCCVII THOMAS GAVTERIVS theologus, Villareto-Delphinas, natus a. 1638, Paſtor praefuit eccleſiae Feneſtrellanae ab a. 1662, ab a. 1678 apud Dienſes miniſtrum verbi diuini egit, accedente poſt annum cathedra theologica. Reuocato edicto Nannetenſi a. 1685 fuga ſibi conſuluit, et a. 1687 Profeſſor theologiae in academia Marburgenſi, Ephorus alumnorum principalium et Paſtor coetus ex profugis gallis collecti conſtitutus eſt: ad plures abiit a. 1709. Scripſit theologiae didacticae principia, de vſu et abuſu rationis in rebus fidei.

A. CIↃIↃCCVIII OTTO PHILIPPVS ZAVNSCHLIFFER Profeſſor iuris et Syndicus academiae, iterum.

A. CIↃIↃCCIX IOANNES CONRADVS MELM medicinae Profeſſor, natus Duſſeldorpii a. 1677, peragrata Italia, Gallia, Germania, ſummis in medicina honoribus Duisburgi ornatus, Marburgum adiit a. 1707 medicinae Profeſſor ordinarius, fato functus eſt a. 1714. Scripſit de mechanicae abuſu in medicina.

A. CIↃIↃCCX IOANNES HENRICVS HOTTINGER, theologiae et antiquitatum iudaicarum Profeſſor, ab a. 1705 has et philoſophiam publice docere iuſſus fuerat: acceſſit a. 1710 Pro-

 feſſoris

ſeſſoris theologiae munus, a. 1717 ad Heidelbergenſem academiam hinc migrauit.

A. CIƆIƆCCXI BERNHARDVS DVISING, theologiae Pro feſſor, Henrici filius, natus Marburgi 1673, peragratis Anglia, Belgio, Germaniae parte, Coloniam Agrippinam a. 1701 vocatus, vt reformati coetus clam ibi collecti ſacris praeeſſet. Haud multo poſt verbi diuini miniſtrum apud Cliuienſes egit, inde in Haſſiam redux a. 1706 Profeſſoris theologiae in academia Marburgenſi et Paſtoris eccleſiae munus ſuſcepit: acceſſit Ephori rei ſtipendiariae, et Conſiliarii conſiſtorii eccleſiaſtici dignitas, denatus eſt a. 1735. Scripſit de viſione Petri Actor. x 2, de iuſtificatione peccatoris, Wiederlegung der Inſpirirten.

A. CIƆIƆCCXII IOANNES HENRICVS KLEINSCHMIDT Iureconſultus, tertium.

A. CIƆIƆCCXIII IOANNES CONRADVS MELM medicinae Profeſſor, iterum.

A. CIƆIƆCCXIV IOANNES GVILIELMVS WALDSCHMIDT, Iuris et moralium Profeſſor, natus Marburgi a. 1682, finito ſtudiorum curſu regiminis Marburgenſis Adſeſſor, mox 1708 Profeſſor iuris extraordinarius, philoſophiae practicae ordinarius, factus eſt. Acceſſit a. 1709 Profeſſio, quam vocant, iuris ordinaria, et poſt decennium Conſiliarii regiminis dignitas. Tandem a. 1621 Procancellarius academiae creatus eſt. Vitam cum morte commutauit a. 1741, paullo ante a Vicariis Imperii R. G.

M nobilitati

nobilitati inſertus. Magnam ſuis ſcriptis et conſiliis ſibi peperit famam, inter quas eminent diſſertationes de vicariis Imperatorum, de Auguſtae Imperatricis Archicancellariatu, de hominibus propriis Haſſiacis, de Comitum Auſtraegis, de pactis ganerbinatuum, de probatione per diplomataria, de decimis noualium.

A. CIƆIƆCCXV IOANNES SIGISMVNDVS KIRCHMEIER theologus, Allendorfio-Haſſus, natus a. 1674, Schwebdae verbi diuini Miniſtrum egit a. 1703, vix anno elapſo in hanc academiam retractus, Profeſſor logices et metaphyſices, et Paſtor coetus reformati creatus eſt, a. 1710 in ordinem Profeſſorum theologiae receptus, ſacro miniſterio eccleſiaſtico a. 1723 ſe abdicauit, anno 1735 Ephori munus, et a. 1746 Conſiliarii conſiſtorii eccleſiaſtici, Inſpectoris eccleſiarum reformatarum ſuperioris Haſſiae, et Profeſſoris theologiae primarii dignitas acceſſit. Ex hac vita migrauit a. 1749. Scripſit de malo morali, de mediis cognitionis, de animorum immortalitate, de ſyllogiſmorum ſimplicium generalibus regulis, de principio iudicante, diſſertationes theologiam naturalem complectentes, de libero arbitrio, de iuſtitia peccatoris coram Deo.

A. CIƆIƆCCXVI CORNELIVS VAN DEN VELDEN iuris Profeſſor, natus a. 1670, peragratis Belgio et Gallia, Marburgi iura ab a. 1696 docuit, poſt annum Profeſſoris extraordinarii honore auctus, a. 1702 demum inter Anteceſſores iuris ordinarios rela-

tus, denatus a. 1731. Scripſit diſſertationes de alimentis praeſtandis liberis prioris matrimonii, de obligationibus, quae ex litteris oriuntur, aliasque nonnullas.

A. CIƆIƆCCCXVII IACOBVS VAN DEN VELDEN Profeſſor medicinae, a. 1714 Wormatia Marburgum euocatus, ab a. 1728 in aula Caſſellana Conſiliarii et Archiatri primarii honore inſignis, animam efflauit a. 1737. Scripſit de mercurio et mercurialibus ad expurgandos ſine ſaliuatione morbos, de criſi ſ. medicina ab offuciis dierum criticorum purgata.

A. CIƆIƆCCXVIII IOANNES DVISING logices et metaphyſices Profeſſor, natus Bremae a. 1683, Profeſſoris locum in hac academia nactus eſt a. 1710, quem ad finem vitae a. 1730 ornauit.

A. CIƆIƆCLXIX BERNHARDVS DVISING theologus, iterum Rector.

A. CIƆIƆCCXX IOANNES FRIDERICVS HOMBERGK ZV VACH Profeſſor iuris, Marburgo-Haſſus, natus a. 1673, ſtudiorum curſu exantlato Principis Naſſauio-Sigenſis ſtudia regere iuſſus, poſt Angliam inuiſit, tum Principi Haſſiaco Georgio datus morum ſtudiorumque formator, tandem a. 1702 Profeſſor iuris extraordinarius in academia Marburgenſi creatus. Inter ordinarios iuris anteceſſores receptus eſt a. 1708. Procancellarii et Profeſſoris iuris primarii locum obtinuit a. 1742, mortalitate interceptus eſt 1748, magna ſcriptis ſuis relicta nominis

fama

fama, ex quibus nominaſſe ſufficiat, nouellas conſtitutionis Iuſtiniani ex graeco in latinum verſas et notis illuſtratas, hypomnemata iuris gentium, dubia iuris naturae, iurisprudentiam rationalem, themidem ſeu de ortu legis aeternae.

A. CIↃIↃCCXXI IOANNES BORELLVS medicinae et phyſices Profeſſor, Feneſtrella-Delphinas, Profeſſor extraordinarius in hac academia a. 1709, ordinarius a. 1711, acceſſit phyſices docendae prouincia a. 1715, animam efflauit a. 1747, ſexageſimo ſecundo aetatis anno.

A. CIↃIↃCCXXII IOANNES HERMANNVS SCHMINCKE hiſtoriarum et eloquentiae Profeſſor, hoc ipſo anno Caſſellas euocatus ad obeundum Conſiliarii et Bibliothecarii munus. Locum in academia noſtra occupauerat a. 1712, mortuus eſt a. 1743.

A. CIↃIↃCCXXIII IOANNES SIGISMVNDVS KIRCHMEIER theologus, iterum.

A. CIↃIↃCCXXIV CORNELIVS VAN DEN VELDEN Iureconſultus, iterum.

A. CIↃIↃCCXXV IOANNES CHRISTIANVS KIRCHMEIER theologus primarius, Conſiliarius conſiſtorii eccleſiaſtici, et Inſpector eccleſiarum reformatarum in Haſſia ſuperiore, Orpheroda-Haſſus, in lucem editus a. 1674, ſtudiorum curſu in academiis Marburgenſi et Franequerana finito Profeſſor philoſophiae Herbornae conſtitutus a. 1699, mox inter theologos re-

ceptus, a. 1706 Heidelbergam euocatus Profeſſoris theologiae et Paſtoris eccleſiae officio functurus. Marburgum vocatus eſt a. 1723. E viuis exceſſit a. 1743. Scripſit praeter multa alia foedus operum vniuerſale, ſummam theologiae natur., de actionum moralium principio, de principio iur. nat., de via vnitiua myſticorum, de ſabbathis iudaeorum, de feſtis iudaeorum anniuerſariis eorumque antitypo, de baptiſmo ſpiritus et ignis, de communione eccleſiae corruptae vitanda, ſyllogen exercitationum academicarum.

A. CIƆIƆCCXXVI IACOBVS VAN DEN VELDEN medicus, iterum.

A. CIƆIƆCCXXVII IOANNES IOACHIMVS SCHROEDER hiſtoriae eccleſiaſticae, antiquitatum iudaicarum et linguarum orientalium Profeſſor, Neokircha-Haſſus, natus 1680, finitis ſtudiis academicis ſub Iobo Ludolfo Francofurti aethiopicam linguam ſcrutatus eſt, armenicam Amſtelodami ab Epiſcopo Armenorum Thoma doctus, Ruſſiam adiit, in Armeniam inde iter ſuſcepturus, irrito euentu. Poſt reditum Angliam inuiſit. Munus Profeſſoris linguarum orientalium in hac academia delatum ipſi eſt a. 1711. Acceſſit deinde cura Bibliothecae, et a. 1737 Profeſſoris theologiae extraordinarii, et a. 1746 Paedagogiarchae dignitas; defunctus eſt a. 1756. Inclaruit potiſſimum theſauro linguae armenicae antiquae et hodiernae.

Celebrata

Celebrata ſunt hoc anno ſaecularia Academiae, creatusque Rector Magnificentiſſimus, Sereniſſimus Landgrauius Haſſiae FRIDERICVS, qui ex hoc tempore per quinquaginta annos academiae faſces tenuit. Abiit in ipſis ſolennibus ſacris SCHROEDERVS magiſtratu, quem iterum adiit IOANNES CHRISTIANVS KIRCHMEIERVS, theologus primarius.

A. CIϽIϽCCXXVIII Sereniſſimo Principe iubente prorogatus eſt magiſtratus KIRCHMEIERO, tertium Prorectori.

A. CIϽIϽCCXXIX munere Prorectoris quartum functus eſt KIRCHMEIERVS, iubente Principe.

A. CIϽIϽCCXXX IOANNES FRIDERICVS HOMBERGK ZV VACH Iureconſultus, iterum.

A. CIϽIϽCCXXXI IOANNES BORELLVS medicinae et phyſices Profeſſor, iterum.

A. CIϽIϽCCXXXII CHRISTIANVS WOLFIVS Profeſſor primarius philoſophiae et matheſeos, Breslauia-Sileſius, natus a. 1679, Profeſſor matheſeos Halenſis a. 1706, Marburgenſis a. 1723, addito Conſiliarii aulici honore, 1740 ad Halenſem academiam rediit, Conſiliarii ſanctioris et Procancellarii dignitate inſignis, Liberi Baronis deinceps nomine ornatus, vitam depoſuit a. 1754. Scripta Viri immortalis notiſſima ſunt.

A. CIϽIϽCCXXXIII BERNHARDVS DVISING, theologiae Profeſſor, tertium.

A. CIↃIↃCXXXIV IOANNES FRIDERICVS HOMBERGK ZV VACH Iureconſultus, tertium Prorector.

A. CIↃIↃCCXXXV IVSTINVS GERHARDVS DVISING, Profeſſor medicinae, natus 1705, in academia noſtra ab. a. 1730 medicinam extra ordinem docuit, biennio poſt ordinariam Profeſſionem conſequutus, fato functus a. 1761. Scripſit commentationem phyſicam de ſalubritate aëris Marburgenſis, et nonnullas diſſertationes medicas.

A. CIↃIↃCCXXXVI IOANNES CASPARVS SANTOROC, Profeſſor philoſophiae, Caſſellis-Haſſus, natus a. 1682, verbi diuini Miniſter ad aedem S. Stephani in ciuitate Imperiali Bremenſi, mox in naui repulſoria Anglicana, tum a. 1708 Profeſſor gymnaſii Bremenſis, a. 1710 in academia Marburgenſi Profeſſor antiquitatum graeco-latinarum et Paedagogiarcha, acceſſit 1713 poëſis et a. 1730 logica et metaphyſica docenda: denatus eſt a. 1745.

A. CIↃIↃCCXXXVII IOANNES CHRISTIANVS KIRCHMEIER theologus primarius, quintum.

A. CIↃIↃCCXXXVIII IOANNES VLRICVS CRAMER Iureconſultus, Vlma-Sueuus, natus 1706, Profeſſor iuris extraordinarius a. 1731, ordinarius 1733, acceſſit Conſiliarii aulici dignitas, a. 1742 ab Imperatore Carolo VII inter Conſiliarios aulicos imperiales ſuſceptus eſt. Poſt mortem Caroli VII in iudicio vicariatus Rhenani Adſeſſor fuit, Liberique Baronis hono-

rem

rem adeptus eſt. Poſt id temporis priuatam vitam Marburgi egit, donec tandem a. 1751 Adſeſſor Summi Tribunalis, quod Wetzlariae eſt, conſtitueretur, naturae debitum reddidit a. 1767. Ex ſcriptis eius eminent opuſcula, wetzlariſche Nebenſtunden, obſeruationes iuris vniuerſi, ſyſtema proceſſus Imperii.

A. CIↃIↃCXXXIX CHRISTIANVS WOLFIVS Conſiliarius regiminis, matheſeos et philoſophiae Profeſſor primarius, iterum Prorector.

A. CIↃIↃCCXL IOANNES SIGISMVNDVS KIRCHMEIER, theologiae Profeſſor, tertium.

A. CIↃIↃCXLI IOANNES FRIDERICVS HOMBERGK ZV VACH Iureconſultus, quartum.

A. CIↃIↃCCXLII IVSTINVS GERHARDVS DVISING medicinae Profeſſor, iterum.

A. CIↃIↃCCXLIII IOANNES BORELLVS medicinae et phyſices Profeſſor, tertium.

A. CIↃIↃCCXLIV IOANNES SIGISMVNDVS KIRCHMEIER theologus, quartum.

A. CIↃIↃCCXLV IOANNES CAROLVS KOENIG Profeſſor iuris, natus Norimbergae, vbi cauſſas in iudiciis orauit, poſt ad docendum ius in academiam Marburgenſem euocatus a. 1742, inde ad Halenſem tranſiit 1749, mortuus eſt a. 1754. Edidit ſelecta iuris publici nouiſſima, von den Vicarien, von teutſchen Reichstagen, de modo et iure corporis euangelico-

rum intercedendi tam in cauſſis religionis quam politicis. Fabri Staats-Canzlei p. 79-104.

A. CIƆIƆCCXLVI IVSTINVS GERHARDVS DVISING medicus, tertium.

A. CIƆIƆCCXLVII IOANNES IOACHIMVS SCHROEDER linguarum orientalium Profeſſor, iterum.

A. CIƆIƆCCXLVIII IOANNES CAROLVS KOENIG Iureconſultus, iterum.

A. CIƆIƆCCXLIX IVSTINVS GERHARDVS DVISING, Profeſſor medicinae. quartum.

A. CIƆIƆCCL HENRICVS OTHO DVISING Profeſſor philoſophiae, Marburgo-Haſſus, natus 1719, Bernhardi filius, Henrici nepos, Profeſſor hiſtoriae et eloquentiae a. 1744, theologiae a. 1750. Scripſit de ſeſſione filii ad dextram patris, de fide caeſaris dubia atque ſubleſta, de textu Irenaei graeco, de verſione Irenaei latina, Grotius von der Wahrheit der chriſtlichen Religion ins teutſche überſetzt, ad Corinth. III, 11-15, Nachricht von Heſſiſchen Münzen, Leben Theobald Thamers, programmata varia et orationes.

A. CIƆIƆCCLI IOANNES GVILIELMVS KRAFFT theologus, Allendorfio-Haſſus, natus a. 1696, primum alumnorum principalium Maior, a. 1723 coetus reformati Marburgenſis Paſtor, a. 1737 Hanouiam abiit Paſtoris eccleſiae et Conſiliarii eccleſiaſtici dignitate inſignis. Rediit Marburgum a. 1747 Profeſſoris theologi-

ae

ae ordinarii et Ephori rei ſtipendiariae officium adminiſtraturus, deceſſit a. 1767 editis faſciculis nouem obſeruationum ſacrarum, ſciagraphia theologiae moralis et diſſertationibus, programmatibusue nonnullis.

A. CIↃIↃCCLII LVDOVICVS MARTINVS KAHLE Profeſſor iuris et Conſiliarius aulicus, natus Magdeburgi a. 1712, Belgio, Anglia, Gallia, perluſtrata in Gottingenſi academia locum Profeſſoris philoſophiae extraordinarii a. 1737 occupauit, eodem anno inter ordinarios cooptatus, a. 1750 Profeſſoris iuris publici locum in academia Moſeri Hanouienſi obtinuit, vnde in Marburgenſem academiam tranſiit ordinarii Anteceſſoris iuris functurus munere a. 1751, a. 1753 Berolinum arceſſitus eſt inter Conſiliarios iudicii cameralis cooptandus: acceſſit Conſiliarii intimi in ſupremo rerum bellicarum et cameralium collegio dignitas. Scripſit elementa logica probabilium, de praecedentia gentium, de trutinaEuropae, Bibliothecam philoſophicam Struuianam emendatam continuatam, Vergleichung der Leibniziſchen und Neutoniſchen metaphyſic, elementa iuris canonici, corpus iuris publici S. Imp. R. G., opuſcula minora.

A. CIↃIↃCXCCLIII PHILIPPVS IACOBVS BORELLVS medicinae Profeſſor, quam extra ordinem docere iuſſus a. 1742, ordinarius Profeſſor a. 1749, finem viuendi fecit a. 1760, natus a. 1715. Scripſit de colica, de ſaliuatione artificiali, de mania.

A. CIↃIↃCCLIV IOANNES NICOLAVS FVNCCIVS eloquentiae et poëſeos Profeſſor, natus Caſſellis a. 1715, Maior ſtipendiariorum in academia Rintelenſi, tum Profeſſoris locum in hac noſtra a. 1750 obtinuit, mortuus a. 1758.

A. CIↃIↃCCLV HENRICVS OTHO DVISING theologiae Profeſſor, iterum.

A. CIↃIↃCCLVI AEMILIVS LVDOVICVS HOMBERGK ZV VACH Ioannis Friderici filius, Marburgo-Haſſus, natus a. 1720, locum inter ordinarios iuris anteceſſores nactus eſt a. 1743, tum Conſiliarius in iudicio aulico, Conſiliarius regiminis intimus, Procancellarius academiae et Profeſſor iuris primarius creatus eſt a. 1773. Scripſit praeter alia de nouellarum conſtitutionum Iuſtiniani lingua originaria, de reuiuiſcentia iurium exſtinctorum, de conualeſcentia vitioſae alienationis, de oblatione ad litem, primas lineas iuris ciuilis, de foro rei ſitae, de diuerſa indole proceſſus inquiſitorii et accuſatorii, de bonis aduentitiis liberis a patre reſtituendis, de vſufructu materno.

A. CIↃIↃCCLVII IVSTINVS GERHARDVS DVISING, medicinae Profeſſor, quintum Prorector.

A. CIↃIↃCCLVIII IOANNES RVDOLPHVS ANTONIVS PIDERIT philoſophiae Profeſſor, Homberga-Haſſus, locum inter Profeſſores adeptus eſt a. 1747, Caſſellas euocatus theologiae Profeſſor primarius a. 1766, inclaruit praeter alia ſcripta, controuerſiis de canone Scripturae ſacrae.

A.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0062-8

A. CIϽIϽCCLIX et CIϽIϽCCLX magiſtratus eidem prorogatus eſt.

A. CIϽIϽCCLXI HENRICVS OTHO DVISING theologiae Profeſſor, tertium.

A. CIϽIϽCCLXII Eidem prorogatus eſt magiſtratus, idque iubente per reſcriptum Sereniſſimo Principe.

A. CIϽIϽCCLXIII IOANNES IACOBVS SORBER iuris antecesſor, Erfordiae natus a. 1714, in Ienenſi academia Doctoris gradum adeptus iura docuit, in noſtram accitus a. 1754 Profeſſor iuris ordinarius. Edidit commentationem de comitiis veterum germanorum, veſtigia iuris germanici in iure canonico, obſeruationes et quaeſtiones ſelectas forenſes, de cenſu conſtitutiuo, de proceſſu inquiſitorio in iudiciis militaribus vſitato, de iure reuolutionis ſ. recadentiae, de odio in matrimonia inaequalia et reſtricto iure nobilitatis quod ad connubia, de natura et indole appellationis in germania, vigilantibus iura ſunt ſcripta.

A. CIϽIϽCCLXIV PHILIPPVS GEORGIVS SCHROEDER medicinae et phyſices Profeſſor, Ioannis Ioachimi filius, natus Marburgi 1729, in noſtra academia ſummos in medicina honores conſequutus a. 1752: Profeſſoris medicinae ordinarii in academia Rintelenſi locum obtinuit a. 1754, ad idem munus obeundum Marburgum reuocatus a. 1762. Sub magiſtratus academici initia Gottingam euocatus, vt Profeſſoris medicinae munere fungeretur, vitam cum morte commutauit a. 1772.

P Pro-

Prorectoratus munia ſuſtinuit Exprorector SORBERVS. SCHROEDERVS diſſertationibus medicis de conuulſionibus ex haemorrhagia oriundis, de pleuritidum ſiccarum differentia indole et ſede, de indole ac ſede phrenitidis et paraphrenitidis, de febrium prodromis, Beſchreibung der Hornviehſeuche in der Grafſchaft Schaumburg, 1757, 61, 62. inclaruit.

A. CIↃIↃCCLXV CHRISTOPHORVS FRIDERICVS GEIGER hiſtoriarum, eloquentiae et poëſeos Profeſſor, natus Norimbergae a. 1712, formandis moribus ſtudiisque Principis Anhaltino-Bernburgenſis Praefectus et Conſiliarii aulici honore inſignis, in Marburgenſi academia Profeſſoris prouinciam nactus a. 1750, morte occubuit a. 1767, edidit librum de ſummo palatii praefecto, de amplitudine fori conuenti auſtraegalis, Rouſſauii librum de contractu ſociali in germanicam linguam ex gallica vertit.

A. CIↃIↃCCLXVI HENRICVS OTHO DVISING theologus, quintum.

A. CIↃIↃCCLXVII IOANNES ANDREAS HOFFMANN Anteceſſor iuris, Tambaco-Gothanus, natus a. 1716, Ienae iura priuatus Doctor docuit, Profeſſoris ordinarii in noſtra academia locum nactus a. 1754. Edidit praeter alia, ſelecta de vnionibus Electorum opuſcula, de potentatu ſtatuum I. R. G., auserleſene iuriſtiſche Bibliotheck, teutſche Reichs-Praxis, Theſaurum iurisprudentiae romano-germanicae forenſis, vom Heſ-

ſiſchen

ſchen Kriegs-Staat, de iuribus indigenarum Germaniae, de auſtraegis ordinum S. R. I., die Eſtoriſche bürgerliche Rechtsgelahrheit der Teutſchen, vtrum feuda cenſualia ſint feminea, de differentiis iuris cambialis, de communionibus praeſertim perſonarum illuſtrium, de iure foreſtali, de iure conſociationum ordinum S. R. I. praeſertim comitum, de conuentibus ſiue comitiis comitum, de venatu in terris praeſulum germ. non libero ſed regali, de rebus principibus dicatis ad imperium et perſonam ſuſtinendam.

A. CIↃIↃCCLXVIII AEMILIVS LVDOVICVS HOMBERGK ZV VACH Iureconſultus, iterum.

A. CIↃIↃCCXLXIX CAROLVS GVILIELMVS ROBERT theologiae Profeſſor et rei ſtipendiariae Ephorus, natus Caſſellis a. 1740, finito ſtudiorum academicorum curſu et peragrata Heluetia, Gallia, Belgio, Paſtor coetus reformati Marburgenſis conſtitutus eſt a. 1764, extraordinem theologiam docere iuſſus, a. 1766 inter ordinarios theologiae Profeſſores locum accepit, anno poſt munere ſacerdotali ſe abdicauit. Poſt Krafftii mortem rei ſtipendiariae praepoſitus eſt Ephorus. Acceſſerunt a. 1771 Conſiliarii conſiſtorii eccleſiaſtici et Inſpectoris eccleſiarum reformatarum in Haſſia ſuperiore munia. Scripſit praeter alia diſſertationem de ſuperbia, theologiam moralem, Entwurf der vornehmſten Wahrheiten der Religion, Encyclopaediam theologicam.

A. CIƆIƆCCLXX IOANNES IACOBVS SORBER Iureconſultus, iterum.

A. CIƆIƆCCLXXI IOANNES GOTTLIEB WALDIN matheſeos et philoſophiae Profeſſor, natus Gerae a. 1728, ſummis in philoſophia honoribus ornatus in academia Ienenſi docuit, mox ordinis philoſophici adiunctus conſtitutus, tum Profeſſor extraordinarius; euocatus in academiam Marburgenſem a. 1766, edidit Introductionem in Reuſchii logicam et metaphyſicam, nouum logicae ſyſtema methodo Euclidea, diſſertationes de ſpatio vacuo, de contingentia huius vniuerſi, de ſtimulis et inſtinctibus naturae animalium, de philoſophia morali eiusque principio et partibus, de lege vires menſurandi Carteſiana et Leibnitiana, Beobachtung eines auſſerordentlichen Regenbogens, ius legatorum vniuerſale.

A. CIƆIƆCCLXXII HENRICVS OTHO DVISING theologus, ſextum.

A. CIƆIƆCCLXXIII IOANNES ANDREAS HOFFMANN Iureconſultus, iterum.

A. CIƆIƆCCLXXIV IOANNES FRANCISCVS COING Profeſſor logices et metaphyſices et Bibliothecarius academiae, natus Sigenae a. 1725, peracto ſtudiorum curſu Herbornae, Halae, Ienae, Profeſſor philoſophiae apud Herbornenſes a. 1749, inde in noſtram academiam translatus a. 1753. Scripſit inter alia Inſtitutiones logicas, Inſtitutiones philoſophicas de Deo, anima

ma humana, mundo, et primis humanae cognitionis principiis, diſſertationes de veritate religionis chriſtianae rationibus certitudinis moralis confirmatae, de principio rationis ſufficientis libertateque atque huius cum illo et diuina praeſcientia conſenſu, de fonte eſſentiarum, de exiſtentia Dei ex huius mundi contingentia contra Premontuallium.

A. CIↃIↃCCLXXV CAROLVS GVILIELMVS ROBERT theologus, iterum.

A. CIↃIↃCCLXXVI IOANNES ANDREAS HOFFMANN Anteceſſor iuris, tertium Prorector.

Ex iſthac Rectorum ac Prorectorum Marburgenſium ſerie apparet

I) liberrimam ſemper ac Profeſſorum arbitrio permiſſam fuiſſe electionem Rectorum, neque ordinis, quo Facultates ſe excipiunt, habitam fuiſſe rationem: duodecim enim electionibus theologicam, quam vocant, Facultatem praeteritam fuiſſe, quum eam vel maxime tangeret ordo; Iureconſultos octies praetermiſſos, medicos viginti ſex, philoſophos decem electionibus, docet Rectorum ſeries.

II) Suffragiis ſenatus academici ſaepe prorogatum eſſe magiſtratum, Principis bis vel ter tantum accedente auctoritate.

III) Procancellariis olim Prorectoris ſeu Rectoris munus delatum atque ab iis geſtum fuiſſe, quid? quod et Syndicis academiae, quo munere olim Profeſſores fungebantur.

IV) In academia Giſſenſi poſt tertium annum demum ab inito munere Profeſſorio ad Rectoratus honorem patet aditus. In Gottingenſi ei demum Rectoris officium adminiſtrare licet, qui Decanatus iam functus eſt honore. In hac noſtra poſt primum annum, quid? quod ante primi anni inter nos exacti decurſum Profeſſores creati ſunt Rectores aut Prorectores. AELIVS EOBANVS enim poſt primum aduentus ſui annum Rector factus eſt, et IOANNES OLDENDORPIVS, HENRICVS MAIVS et LVDOVICVS MARTINVS KAHLIVS paucos menſes in academia exegerunt, quum magiſtratus academicus ipſis deferretur.

Haec praemittenda videbantur, quum *Solennia ſaemicularia* SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI FRIDERICO II HASSIAE LANDGRAVIO *ſacra* indicenda eſſent. Ante hos quinquaginta annos enim, dum ſaecularia academiae celebrabantur, CAROLO immortalis memoriae Principe iubente, FRIDERICVS Princeps tum iuuentutis, et laetantis Haſſiae ſpes certiſſima

certiſſima faſces academiae ſuſcepit, ex iſto tempore RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI et nomen et munia geſſit ac ſuſtinuit. Sub propitia EIVS tutela alternas rerum vices, perſperam aduerſamque fortunam experta eſt academia noſtra, bellique minas et pericula pertulit. Gratulabanda igitur poſt tantum annorum decurſum ſolennem hanc diem, felicitatis ſuae ſponſorem, enixiore celebrat ſtudio. Vt laetitiae ſuae publica exſtaret teſtificatio, Patres academiae communis gaudii me iuſſerunt eſſe interpretem. In frequentiſſima igitur omnium panegyri, qui et optimo Principi et academiae bene cupiunt, oratione ſolenni et *Natalitia* Sereniſſimi FRIDERICI et *Recturae magnificentiſſimae ſacra ſemiſaecularia*, pro virium quidem modulo, at mente pectoreque laetante, celebrabo. Cui, vt intereſſe dignentur, Illuſtriſſimus Legatus, Magnificus ac Perilluſtris Academiae Procancellarius, celeberrimi omnium ordinum Profeſſores ac Doctores, Ciues amantiſſimi, Fautores Muſarum ſuauiſſimi, demiſſe et obſeruanter rogo atque obſecro. Dab. Marburgi d. x Aug. a. CIƆIƆCCLXXVII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0071-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0072-4

Gb 1550.
4°
(x 226 3744)
n. C.
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0073-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0074-5

SERENISSIMI. AC. POTENTISSIMI
PRINCIPIS. AC. DOMINI

# DOMINI. FRIDERICI. II

LANDGRAVII. HASSIAE. REGNANTIS. REL.

# NATALITIA

## QVINQVAGESIMA. OCTAVA

ET

# SACRA. SEMISAECVLARIA

## POST. SVSCEPTVM

## RECTORIS. MAGNIFICENTISSIMI

## MVNVS

DIE XIV AVGVSTI ANNI CIƆIƆCCLXXVII
SOLENNI. ORATIONE
IN, AVDITORIO. MAIORE. HORA X HABENDA
CELEBRATVRA. EST

## *ACADEMIA. MARBVRGENSIS*

AD QVAM AVDIENDAM
ILLVSTRISSIMVM LEGATVM,
ACADEMIAE PROCERES, CIVES AC FAVTORES
DEMISSE ATQVE OBSERVANTER INVITAT


## MICHAEL. CONRAD. CVRTIVS

SEREN. LANDGR. A CONSIL. HISTOR. ELOQV. ET POES. PROF. ORD.
ACADEMIAE H. A. PRORECTOR.


*Panduntur faſti Rectorum ac Prorectorum Marburgenſium ab incunabulis Academiae*


MARBVRGI CATTORVM
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA MüLLERIANA



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119047-p0075-1